




Phenyl Symp / viii h



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

Ms. A. 1. 1. 1. 1. 1.

Ms. A. 1. 1. 1. 1. 1.

7

55

Na. VIII - 14

Ka. III. 12^a


MUMIOGRAPHIA
MUSEI OBICIANI

EXARATA

A P. PAULINO

A S. BARTHOLOMÆO

CARMELITA DISCALCEATO, LINGUAR. ORIENTAL.
PROFESSORE, MISSIONUM ASIATICARUM SYNDICO,
ACADEMIÆ VOLSCORUM VELITERNÆ, ET REGIÆ
NEAPOLITANÆ SOCIO.




S. Marini del.

.. P A T A V I I

EX TYPOGRAPHIA SEMINARI

SUPER. PERM. ANNO M. DCC. IC.



MUSEI ORICIANI
EXARATA
A. P. VAULINO

A. P. VAULINO



UNIVERSITATIS PADOVAE
BIBLIOTHECA
MUSEI ORICIANI
EXARATA
A. P. VAULINO



EXARATA

EXARATA

EXARATA

EMINENT.^{MO} AC REVEREND.^{MO} PRINCIPI
 S T E P H A N O
 S. R. E. PRESB. CARDINALI
 B O R G I A
 TIT. S. CLEMENTIS
 SS. CONGREGAT. AB INDICE
 ET DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO
 ACADEMIARUM QUOTQUOT SUNT CELEBRIORUM
 SOCIO ET ORNAMENTO

FLORIANUS CALDANI.

INter tot antiquitatis monumenta, quæ
 Nobilissimus Vir THOMAS DE OBICHS Orciani
 & S. R. I. Marchio ad populorum historiam
 illustrandam in *Catajo* collegit (est autem per-
 ampla domus septem passuum millia a Pata-
 vio dissita, vetustate, forma, amoenitate, pi-

ctis parietibus jamdiu commendatissima), Ægyptiam Mumiam admiratus maxime fuisti, **PRINCEPS EMINENTISSIME**; tum quia & hieroglyphicis litteris exornatur, tum quia, temporis edacitate superata, hoc vetustatis monumentum post bis mille circiter annos integrum adhuc atque incorruptum conspicitur. Duxeras autem tecum itineris comitem Reverendiss. P. **PAULINUM A S. BARTHOLOMÆO**, Carmelitam Discalceatum, Virum eximium, quem jure amas ac peramas, religione, sapientia, editis Operibus celeberrimum (*). Cumque Ipsum pari voluptate Mumiaë conspectus delectaret, & TU jam aperte videres, quid ab Eo esset expectandum, qui non antiquitatis studia coluit solummodo, sed in iis monumentis describendis maximus Auctor fuit, quibus Museum TUUM Veliternum ingenti cura & impensis locupletasti, totam rem PAULINO TUO integram servari voluisti. Neque Eum conturbavit expectatio TUA: siquidem illico de Ægyptiorum *physiognomia*, de cadaverum balsamo condiendorum arte, de animalibus in monumento pi-


(*) Vitam Paulini dedit nobis haud ita pridem Cl. Alter Vindobon. Professor in Opere, cui titulus: *Philologisch-Kritische Miscellaneen von Franz Carl Alter Wien 1799. pag. 253. seq.* addito editorum Operum Catalogo.

ctis disseruit mèmoriter , subtiliter , eruditissime . Non enim , cum in Indicis monumentis explicandis versaretur , Ægyptiorum mores religionemque despexerat . Nec , si vellet , despexisset unquam . Præter enim quam quod earum rerum cognitio Ipsi erat summopere necessaria , sapius TE in omni scientiarum genere peritissimum de Ægyptiis ritibus disputantem audiverat , sapius eos , quorum consuetudine PAULINUS apud TE fruebatur , cum Urbe degeres , & sexcenta monumenta viderat Ægyptiaca , quibus Museum superbit Veliternum , & libros legerat , quos TUIS impensis vulgatos Doctorem Respublica versat , & admiratur :

Fidem autem suam solvit PAULINUS , & Mumia descriptionem confertam recondita eruditionis varietate misit OBICIO , qui mihi ut ejus editioni præessem mandavit , voluitque ut ipsa præclaro TUO nomine exornaretur . Et cuinam potiore jure fuisset hoc Opus dono dandum ac dedicandum quam TIBI , PRINCEPS EMINENTISSIME , litterarum præsidium , & dulce litteratorum decus ? TE colit OBICIUS , honorat , veneratur ; TE Operis hujus Auctorem agnoscit , cum TUO tantum horta-

tu Mumiam PAULINUS commentario celebrandam suscepit. Atque illud etiam accedit, quod TUUS est PAULINUS, neque de Eo posset dici, nisi de TE ipso diceretur. Si enim Publii Africani Panætium unum comitem fuisse loquuntur historiæ; si Lucullus Antiochum secum & quæstor habuit & imperator; TU litteratos quosque Viros undique complexus, muneribus semper & honoribus cumulasti, tantaque cum iis urbanitate conversari dignatus es, ut ad majora natus unus fere ex iis esse videaris. Excellit autem inter hos PAULINUS, quem de Veliterno Museo & de optimis artibus egregie meritum singulari & assidua prosequutus es benevolentia, tuorumque studiorum, itinerum, & æumnarum comitem reddidisti.

TIBI ergo sit, quod TUUM esse ex iis aperte patebit, quæ, ut morem OBICIO gererem, Opusculo præmittenda putavi. OBICIUM ama, DOCTISSIME, atque EMINENTISSIME CARDINALIS, meisque studiis ut enixe faveas obtestor:




MUMIOGRAPHIA
MUSEI OBICIANI.

§. I.

CATAJI OBICIANI BREVIS DESCRIPTIO.

ANTEquam Mumiographiam Musei Obiciani aggredjmur, juvat ei brevem Cataji topographiam præmittere. Abest *Catajum* a Patavio septem fere mille passus, ad celebres illos *Euganeos* colles situm, ex quibus populi *Veneti* descendisse, ac plurimas urbes condidisse feruntur (1). Promicat *Catajum* inter reliquas agri Patavini villas & arces non solum eximio splendore sui ædificii, sed etiam amœnitate & situ loci. Quocirca heic divertere solent Italiae & Germaniae Principes, dum a curis quietem quærunt, aut ultro citroque commeantes Italiam lustrant. Arx ipsa imminet rupibus ex collibus *Euganeis* prosilientibus, & pars ædificii in ipsa rupe incisa, felici foedere eximia naturæ & artis ornamenta conjungit, ac omnium oculis spectanda offert. Ad ortum ex alto dominatur aperto & insigni campo, in quo inter frondescentium arborum apices prominet *Ecclesia* & oppidum *Carrariense*. Ad occasum in montis latere habet amplis-



(1) Philippi Cluverii *Introductionis in universam Geographiam tam veterem, quam novam libri VI.* Amstelædami apud Elzevirios 1659., lib. III. pag. 163.

plissimam vivariam, muro septam, & cervis, capreis, leporeis, caniculis, avibus, aliisque fectis refertam. Ad meridiam ex arce eminens aspectu primo intutu sub oculis cadit *Barbia*, vicus, alta turri & saluberrimis thermis e fonte S. Helonæ scaturientibus preclarus, & balnearium turba frequens. Uterius e longinquo verticem suum quasi inter nubes effert superbus *Mont Silicii*, *Atalung Fluvii*, olim Jovis templo insignis, quod ab *Achila* Hunnorum rege eversum & incensum, a *Theodovico* Ostrogothorum rege rursus instauratum fuit. Hic fuit olim limes Romanæ Ecclesiæ temporis domanti; nam *Chronicon Monasterii Casinensis* refert, *Montem Silicii* a *Pipino* Francorum rege Romanæ Ecclesiæ sub *Stephano* Pont. Maximo una cum Mantua, Parma, Rhegio, aliisque non paucis Italiæ urbibus dono datam fuisse (2). Loca hæc omnia, quæ commemoravimus, blando susurre perfluens irrigat fluvius, olim *Messana*, hodie *Barchin* dictus, qui ad *Patavinum Erena* fluvium affunditur, ac ad meridiem deflectens per agrum *Patavinum* decurrendo *Corsolan* salutat, tum in *Barbia* ad levam reflexus *Babiloniam* petit, relicta una sui parte quæ *Basilicam* alit, & ultra *Montem Silicii* procurrat. Ipsa *Catavana* arx vallo, ponte, & ferrea porta munitur, & ut nunc de romano & militari adpectu, quem extrinsecus exhibet, taceam, Musarum, artium, & scientiarum est preclara sedes. Hæc omnes in eam pedes intulisse videntur, a quo tempore Nobiliss. Vir *THOMAS DE OBICIS*, Hieronymi & Pii *Fenez de Obicis* illustri progenies, *Ferdinandi* fil., *Crociani Marchio VII.* eam variarum gentium monumentis exornavit. Huc, viri eruditi, hac fidenti animo properate. Si antiqua artium monumenta oculis vestris conspiciere, & mentis

tis

(2) Bernardi Scaptonii Cætopici Patavin. De antiquitate urbis Patavini et montis silicii Patavini libri III. Epistola admodum in vniuersum ingenuus Expositio Patavini iacturam. Baliez anno 1760. lib. 2, pag. 26.

9

eis acie perscrutari vultis (3). Invenietis in hac insigni
 arce *Pauli Veronensis* eximii Pictoris plurimas tabulas, qui-
 bus in aula & intima æde parietes renident, ac totam *Obi-*
ciorum familiam mirifice illustrant. *Titiani Vecelli*, *Franci-*
sci Barbierii, vulgo *Quercinii*, *Rubensii*, *Bianchi Florentini*,
 aliorumque excellentium Pictorum non unum hic artis exstat
 monumentum, quod rapaces Gallorum manus effugit, quod-
 que non oblectationem animi solummodo præbere potest uni-
 cuiquam cordato viro, sed admirationem, & ad imitandum
 incitamentum. Quid dicam de insigni armamentario? Quid
 de Museo harmonico? in quo quamplurima & veteris & ho-
 diernæ Musices asservantur instrumenta, quæ varietatem sono-
 rum, mollissimas & delicatissimas humanæ vocis inflexiones &
 sonos fidibus, tibiis, fistulis, citharis, lyris, sambucis excitan-
 di artem apud varias gentes exstitisse ostendunt. In arma-
 mentario antiquæ lorice, cassides, cudones, ancilia, parmæ,
 peltæ, gladii, baltei, arcus, sagittæ, pharetræ, sclopeta,
 vexilla, tympana, tubæ, sarissæ, lanceæ, hastæ, bipennes,
 cæstus, clavæ, acilides, framæ, acinaces, & varia tormen-
 ta bellica tanta arte & tam insigni ordine disposita conspi-
 ciuntur, ut primo intuitu romani exercitus legionem quan-
 dam tibi obviam, ac te circumvenientem esse putes. Mo-
 vent & terrent præprimis cataphractorum simulacra loricata
 hinc & inde in cuneum coacta, quæ ingeminato tubarum
 clangore toto agmine inter se concurrere, & exsertis mani-
 bus cruentam stragem minari videntur. In medio stant ca-
 tapultæ & tormenta bellica, quæ utramque aciem tueri, &
 ne hostis eam invadere possit, obstare, arcere, & terrere
 visuntur. In his insigne artis opus tormentum bellicum ex
 corio affabre confectum & expolitum, quod e Mediceo Flo-
 rentino armamentario huc illapsum fuisse fertur. Quis cre-


b

deret

(3) Confer de *Catajo* Betussi Giuseppe, *Ragionamento sopra il Ca-*
tajo. Padova 1573. in-4°.

deret hominem, quem, ut ait Cicero (4), *natura vi rationis conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem*, non solum in ferro & ære, sed etiam in corio suæ destructionis principia quæsisisse? Quis, nisi ille, qui hæc arma vidit, dicere queat, hominem plus armis & vi manifesta duci & coerceri, quam ratione, qua Divina Mens eum instruxit, & a belluis ideo tam excellenti dono distinxit, ut se ipsum animi consilio gubernaret?

Relinquamus hanc a mente humana tam dissonam armorum farraginem, & in intima artium & scientiarum penetralia properemus. Bibliotheca *Obiciana* plures insignes continet Codices manuscriptos, quorum aliqui, ut Codex *Marcanova*, anno 1465. diligenter conscriptus (5) typis edimerentur; alii vero litterariæ reipublicæ summo opere prosunt: utpote ad quorum fidem libri jam editi conferri, & emendari possunt. Sed palatum imprimis titillant varia & quamplurima græca, romana, & ægyptiaca cimelia, quæ in longo



(4) Cicero *de Officiis*, lib. I. num. 6. edit. Patav. 1751.

(5) Egregie quidem de hoc Codice loquuti sunt Apostolus Zeno (*Disser. Voss.* Tom. I. pag. 140. segg.) Maffei (*Veron. illustr.* P. II.) & Hieronymus Tiraboschi (*Stor. della Letter. Ital.* Tom. VI. P. I. p. 160. Modena 1776. 4.): una tamen res est, quam adnotavit nemo, etsi omni laude & omni consideratione dignissima. In calce videlicet Operis hujus Caput occurrit de notis veterum inscriptionum; ibique notæ omnes ac singulæ summo studio enodantur atque explicantur. Me quidem non latet *Fratrem Jucundum* Laurentii Medicei temporibus clarum ipsimet Laurentio codicem obtulisse, in quo notas illas collegerat & explanare tentaverat: verum nescio quis ex codicibus præstantia & diligentia antecellat.

Il Codice delle Iscrizioni, de Marcanova scribit laudatus Tiraboschius, *passò poscia, non si sa quando, nè in qual modo ad altre mani. Obicinus* videlicet, soluto pretio, eum in Musarum sacrario collocavit.

Orationes insuper duas Codex alter continet membranaceus; quas numquam editas puto una cum D. *Floriano Caldasio*, qui eas tunc transcribere curavit, cum in *Catajo* insimul versaremur. Eas habuit *Jordanus Ursinus* annis 1451-52. quarum una est pro Patavina Juristarum Universitate ad Federicum III. Romanorum Imperatorem, alia vero ad Nicolaum V. Pont. Max.

go & amplissimo Museo mira diligentia & ordine disposita, in arcis vitreis rite oclusa asservantur; & sua varietate intuentium oculos recreant, animum autem mira suavitate replent. Quis recensere queat insignes & pulchras græcas, romanas, & ægyptiacas statuas? Quis enumerare græca vasa, hetruscas urnas, variarum gentium numos, proprio & peculiari cubiculo collectos (6), antiquas lucernas, domesticæ suppellectilis varia vetera monumenta, ærea, marmorea, ænea, argentea deorum simulacra? Adsunt unius Ægypti fere centum idola, & ex his plurima notis hieroglyphicis prædita, antiquitatis indiciiis tam præclare distincta, ut de eorum sinceritate & vetustate nullum dubium suboriri possit. In hoc Litteratorum Liceum, in hoc venerandæ Antiquitatis hospitium ego mense Julio anno 1799. cum amplissimo & doctissimo Cardinali STEPHANO BORGIA, & D. Floriano Caldano, Philos. & Medic. Doctore & in Academia Patavina Anatomica Exedræ adjutore solertissimo, singulari comitate & benevolentia præclari viri Marchionis THOMÆ DE OBICIIS, hujus amplissimi Musei Possessoris, inductus fui. Postquam singula, quæ recensui, studioso oculo perlustrassem, ut fieri assolet, tot monumenta meam mentem distractam, & quasi suspensam tenebant. Verum ad singularem sui contemplationem me pellexit integerrima quædam *Mumia* ægyptiaca, colorum venustate, sui integritate, & notis hieroglyphicis tam præclara, ut nulla altera mihi antea visa. Monumento tam integro conspecto, aliquid mihi audendum esse arbitrabar, ideo cumprimis, quod notæ hieroglyphicæ & symbola ægyptiaci cultus vivis coloribus expressa, minus me in errorem inducere poterant, quam hæc eadem stauris & obeliscis in-

b ij scul-

(6) Postremis hisce diebus *Catajum* petiit Reverendiss. P. *Henricus Sanclemente* rumorum studio celeberrimus, & nunc complures a nemine unquam antea illustratos ab eodem hic detectos fuisse lætus accipio.

sculpta, in quibus edacitate temporis multa detrita, mutila, erosa, & viciata comparent.

Est *Mumia*, ut mihi videtur, vox arabica, quæ *cadaver medicatum* significat: nam Arabibus ^{المومياء} *Al-Mumia* est

medicamentum velut pix; ex quo vocabulo ab alienigenis adoptato, & in Νεχροὺν seu cadaver luridum, medicamine nigro ex myrrha, asphalto, pice seu resina confecto delibutum, translato, procedere videtur *Mumia*, cadaver medicatum (7). Hæc igitur inter sceletum & *Mumiam* est distinctio, ut ille cadaver carne carens, siccum, solis ossibus constans significet: *Mumia* autem cadaver carne carens, siccum, & carnis loco undique medicamentis expletum indicet. *Sceleti* fuere illi, qui ad mortis memoriam excitandam apud Ægyptios in convivia inferebantur; nam hi uno solis æstu, teste *Plutarcho*, erant exsiccati, & sale conditi; *Mumie* autem medicamentis pingues, vel domi in editis locis, vel in hypogæis circa templa, & sub cippis aliquando asservabantur. Confer *Heyne, Spicilegium antiquitatis Mumiarum*, Vol. III. *Commentat. Soc. Reg. Gotting.* pag. 69.

Mumiam Obicianam Museo donavit illustris vir *Eduardus Vorthleyus Montagu*, qui peragratis pluribus Asiæ & Africæ provinciis, Patavii anno 1776. obiit, & in Claustro Coenobii PP. Eremitarum S. Augustini sepultus jacet. *En illius Epitaphium:*

Eduardus

~~~~~

( 7 ) Vide *Thesaurum Lingua Arabica*, Auctore Antonio Giggejo.



*Eduardo . Worthleyo . Montacutio . Anglo .  
nobilitate . generis . doctrina . & . scriptis .  
claro . rerum . morum . & . linguarum . orien-  
taliū . peritia . summo . Viro . urbanitatis .  
laude . & . animi . constantia . incomparabi-  
li . qui . Græcia . Ægypto . Arabia . aliisque .  
Africa . & . Asiæ . regionibus . peragratis .  
ubique . civis . post . varios . casus . cum . no-  
vum . iter . in . orientem . valetudine . jam .  
infirmus . moliretur . obiit . Patavii . ij . k . Maj .  
a . dcccclxxvj . an . natus . lxxij . m . x . d . xvj .  
h . b . m . p . c .*

Hæc inscriptio, ut diximus, in Claustris muro, marmoris pa-  
rio est insculpta litteris aureis. In loculo autem, in quo ci-  
neres conditi sunt, humi sub eodem muro exstant inscripta  
hæc verba:

*Eduardi Vorthleyi  
Montagu cineres*

Subtus insculptus cernitur piscis natans. Hoc monumentum  
& epitaphium *Vorthleyo* posuit *Marsilius* celeberrimus quon-  
dam in Patavino Gymnasio Botanicæ Professor, defuncti  
*Vorthleyi* præclarus Curator.

Quisquis amœniore litteras vel a limine salutavit, non  
ignorât, quanta sit *Vorthleyi* auctoritas. Inscriptio a nobis  
allata viri indolem, iudicii maturitatem, & linguarum O-  
rientalium peritiam satis expressit. Non poterat is pruden-  
tissimo delectu meliorem non seligere *Mumiam*, eamque sin-  
ceram & integram, cum ipse in Ægypto, & rerum ægy-  
ptiarum probe gnarus esset. Ignoramus autem hujus *Mumia*  
natale solum. An *Thebis*, an *Memphi*, an *Alexandria* al-  
lata est? *Thebas* & *Memphim* multis cavernis & hypogæis,  
in

in quibus cadavera asservabantur, præditas fuisse, scriptores uno ore fatentur, ut *Pocock*, *Norden*, *Sbarro*, alii. His igitur prælibatis ad recensionem Mumiarum illarum progrediamur, quæ jam ab aliis viris illustratæ fuerunt. Hoc enim fiet modo, ut ex illis nostræ *Mumia* major lux affulgeat, ejusque præstantia luculentius pateat.





## §. II.

## VARIARUM MUMIARUM BREVIS RECENSIO.

I. PRIMUM locum sibi vindicat Mumia *Guilielmi Lethieullier*, quæ in Museo Britannico asservatur (8). Eam eleganter æri incisam exhibuit *D. Vertue*, interpretationes autem in ejus notas hieroglyphicas adjecit *Alexander Gordon* (9). In arca hujus Mumie pictus cernitur *Osiris Entaphius*, rex nempe *mortuorum*, cujus curæ commissæ sunt animæ defunctorum, in mundo inferiori, postquam a corpore solutæ fuerant, consistentes (10). Quare, quemadmodum Indi Orientales in maximo suo Deo *Shiva* mundi superioris & inferioris dominum agnoscunt, ac eum nunc ut satorem & viventium regem, nunc ut defunctorum dominum, larvarum præsidem, ac animarum custodem & vindicem sibi repræsentant (11); ita & *Osiris* quem Ægyptii Sacer-

(8) Blumenbach, *Observations on Some Egyptian Mummies opened in London. From the philosophical Transactions*, pag. 18.

(9) Alexander Gordon, *An Essay towards Explaining the Hieroglyphical Figures On the Coffin of the Ancient Mummy, Belonging to Capt. Lethieullier*. London.

(10) Aperte hoc de Ægyptiis docuit Plutarchus *lib. de Iside & Osiride* pag. 354. edit. Paris. 1572., Adriano Furnebio interprete. *Apud Ægyptios cum multa alia nomina rationem habent: tum subterraneum ii locum, in quem putant a morte animas ferri, Amenthem vocant. Καὶ τὸν ὑποχθόνιον τόπον, εἰς ἐν οἷονται αἱ ψυχὰς ἀπέρχεται μετὰ τὴν τελευταίην δε.*

(11) Videtis *Amarasinham*, Sect. I. *de Calo*. Romæ 1798. pag. 27., 28., & *Systema Brahmanicum*, pag. 87. 88.

cerdotes dominum rerum omnium esse prædicabant, viventium & mortuorum rex esse credebatur. Palam & aperte hoc expressit Plutarchus (12), cujus verba, cum plurimum ad rem nostram valeant, heic silentio non sunt prætereunda. Id, ait Plutarchus, quod hodie Ægyptii Sacerdotes veluti abominantes & occultantes trepide significant, Osiridem in mortuis imperare, neque a Dite seu Plutone alium esse: ignoratum quo modo verum sit, plerosque turbat, suspicantes in terra & infra terram sacrosanctum istum vere Osirim habitare, ubi corpora latent eorum, qui jam esse desiisse putantur. At vero ille ipse longissime a terra abest impollutus, intaminatusque, & purus ab omni natura interitum, mortemque sustinente. Hominum autem animæ quamdiu hic a corporibus & affectionibus continentur, nihil habent cum Deo consortii, nisi quatenus philosophiæ adjumento, veluti per somnium intelligentia eum attingunt. At postquam solutæ migraverunt in purum, & visui atque perpeccionibus non obnoxium: ibi tum earum ipse Deus ductor est, ab ipso pendentium, spectantiumque absque ulla satietate, & desiderantium ineffabilem hominibus pulchritudinem, Hæc aurea Plutarchi verba expendant moribus, ritibusque efferatæ philosophiæ hodierni assertores, & animo fateantur, Ægyptios animæ immortalitatem docuisse & credidisse; seque omnes etiam barbaras gentes immanitate ac intoleranda barbariæ superare. Verum ut huic veritati tota quanta firmitas accedat, alta mente teneantur reposita Herodoti verba, quæ ille de Ægyptiis scribit lib. II, cap. 60. Edit. Francof., interprete Laurentio Valla, eumque castigante eximio viro Henr. Stephano. Πρῶτοι δὲ καὶ τὸνδε τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσι οἱ εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι. τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος, εἰς ἄλλο ζῶον αἰεὶ γινόμενον ἐσδύεται. ἐπεὶ δὲ περιέλθῃ πάντα τὰ χερσαῖα καὶ τὰ θαλάσσια καὶ τὰ πετεινά, αὐτῆς

( 12 ) De Iside & Osiride pag. 368. Edit. Paris.



αὐτῆς ἐς ἀθρώπου σῶμα γινόμενον ἐσδύνει. τὴν περιήλυσιν δὲ αὐτῆ γίνεσθαι ἐν τρισχίλοισι ἔτεσι. Fuerunt autem primi Ægyptii, qui dicerent, *animam hominis esse immortalem: exollescente scilicet corpore, in aliud animal, quod subinde gignitur, immigrare. Postquam vero circumiverit omnia terrestria, & marina, & volucra, iterum in hominis corpus, quod nascatur ingredi: atque hunc circuitum ter mille annorum spatium constici* (13). Adde his Pausaniam, lib. 4. pag. 512. Edit. Lugd., qui idem de *Chaldæis & Indis* affirmat. Hæc igitur est basis imaginis *Osiridis & Isidis* in mumiis & earum arcis coloribus expressæ, hoc fundamentum symbolorum, quæ in mumiis per notas hieroglyphicas exhibentur. Hinc sarcophagus *Lethieullieranus* pictum ostendit *Osiridem*, animarum iudicem, in throno sedentem; peplo more mumiæ involutum; aspitem, vitæ & mortis indicium, fronte gerentem; dextera flagrum, quo malos genios abigit; sinistra lituum seu virgam, summæ potestatis signum, tenentem. Hac virga ille animas evocat, & dum lubet, iterum ad *Amenthem* remittit.

II. Mumia D. Lettsom, aperta Londini die 29. Januarii, anno 1792. longa 14 &  $\frac{1}{2}$  pollices, lata pollices 11 &  $\frac{1}{2}$  circa pectus, singularis est ex eo, quod teste *Blumenbachio*, multa *Ibidis* ossa sejuncta, & resina imbuta in arca continuerit. *There being*, ait *Blumenbachius*, *in it a great number of detached bones of the skeleton of an Ibis, which were only here and there indued with rosin.* Similia *Ibidis*

c

ossa

( 13 ) Doctrinam hanc seu potius fabulam non ita interpretandam esse docuit J. C. Gatterer ( *De metempsychosi immortalitatis animorum symbolo Ægyptio*. Vide *Commentat. Societ. R. Gotting.* Vol. IX. 1787-88. pag. 46. ) quasi, annis ter mille finitis, ipsa finiretur animi vita; sed novum potius inde *vivendi cyclum* incipere, animum in corpus humanum denuo ingredi, dein vero in animalia, ita ut æternum duret, id est ad immortalitatem.

ossa reperta fuere in arca mumiae *Hamiltonianae* in Museo Britannico existente, in qua *Ibidis* rostrum, aliaque avis ossicula perspicuis indiciis distinguebantur. Ex his *Blumenbachius* inferre conatur, minores mumias non semper osseam infantium cratem, seu cadaver medicatum esse, sed sceletum *Ibidum*, sanctarum nempe *Ægyptiis* avium, quas illi opobalsamo & resina perfusas, xylinis fasciis colligatas, ac urnis commissas, in hypogæis asservabant. Quamvis vero *Herodotus* lib. II., cap. 50. scribat, eos, qui *Ibidem* & accipitrem enecuisse convicti fuerant, morte multari solitos fuisse; attamen dum *Ibides* describit, & eas in albas, ac nigras distinguit, nihil de sacris earum loculis commemorat, quemadmodum ille horum meminit, dum cæterorum animalium sepeliendorum ritum notat. Et quidem mortuas feles ad sacra tecta efferri, ac salitas condi; canes feminas in sacris loculis collocatas in urbe sepeliri; mures araneos & accipitres in urbem *Butum* asportari; ursos & lupos sacros eo loci sepeliri, ubi jacentes inveniuntur, *Herodotus* palam & aperte docet. Cur igitur nihil de hac *Ibidum* conditura apud *Herodotum*? Sed more aliorum sacrorum animalium etiam *Ibides* conditas fuisse concedamus, hoc tamen *Blumenbachio* non concedimus: has *Ibides* ita conditas in convivia inferri solitum fuisse, ut convivas ad mortis memoriam *Ægyptii* excitarent. *Plutarchus* in *Symposio* pag. 147. diserte affirmat, hominis, non *Ibidis* sceletum apud *Ægyptios* conviviis inferri solitum fuisse ad mortis memoriam excitandam. *Ægyptii*, ait ille, in convivia inferre solent sceletum, id est, exsiccata hominis, atque inter se compacta ossa, hortarique convivas, ut meminerint se non ita multo post tales fore. Idem docet *Solon*, paulo infra apud eundem *Plutarchum*, & *Herodotus* (14). Probabilius itaque mihi

( 14 ) Lib. II. Cap. 52.



mihî videtur, ibides, feles, canes mumiarum more salitas, & in minoribus *sacris loculis*, quod *Herodotus* aperte dicit, collocatas, ab Ægyptiis asservatas fuisse. Neque alicui mirabile videri debet si in minoribus his urnis ibidis, canis, aut felis ossa repererit, cum stulta Ægyptiorum *Zoolatria*, cui in nulla gente similis visa fuit, ad hunc enormem excessum excreverit, ut Ægyptii cum animalibus vescerentur, & eadem semper inter deos suos numerarent. Qua de re vide *Herodotum lib. II. cap. 50.*, *Plutarchum de Iside*, *Strabonem Geogr. lib. 17.*, *Alexandridem Comicum*, *Herodoti edit. Francof. ab Henr. Stephano annexum*, & *Philonem Judæum lib. de Decalogo (15)*. Ex his autem nemo inferre debet, minorum mumiarum arcas nunquam humanum sceletum continere: hoc enim quotidianæ experientiæ adversum est. Duas ego *Cataji* minores mumias sedulo examinavi, & in unius arca humanæ manus unguis, in altera os humanæ tibiæ reperi. Nec quispiam audax censor dicat, me in eis inspiciendis & dijudicandis errore lapsum fuisse; nam mecum aderat egregius vir, *D. Florianus Caldanus*, anatomes peritissimus.

III. Mumia *D. Garthshore* Londini die 21. Januarii anno 1792. a *Blumenbachio* dissecta & aperta, alta pollices 9. cum dimidio, lata pollices 8 in suo circa pectus ambitu. Hæc, ut alia superior, notis hieroglyphicis caret, nec aliquam meretur mentionem. In solo pectore exhibebat *Anubim* cynocephalum, & ad sinistrum latus *Osiridem* accipitrino capite insignem. Sarcophagus hujus parvæ mumie ex sex asserculis ligni sycomori conflatus, & ferreis clavis inter se confixus, vehementem fraudis suspicionem excitat, & hanc mumiam ex illibatarum mumiarum numero excludit. Nam legitimæ & nobiles mumie sarcophagis occluduntur

c ij

uno

uno solo sycomori trunco cavo, ligneis cuneis, non ferreis clavis suo operculo immissis. Talis est sarcophagus Mumiae Obiciana, & Gottingensis ab Heynio illustratae. Arabum, Judaeorum, & Graecorum Cabiri habitantium fraudes in transponendis, restaurandis, & adulterandis mumiis post Mailletum notavit Blumenbachius in mumia Symoniana, de qua agit pag. 12. in suis observationibus in aegyptiacas mumiis.

IV. Mumiae tres Musei Britannici, quarum duae Hamiltoniana collectionis, altera Sloaniana. Harum minor aperta fuit die 18. Febr. anno 1792., & in ea repertum humanum os humeri, quod ipsum cum reliquis indiciis annuntiabat, hanc mumiā fuisse personae alicujus octo circiter aetatis annos numerantis: Resina delibutam fuisse omnia demonstrabant. Major Musei Britannici mumia per suam corporis figuram personam exhibere videbatur, quae quatuordecim aetatis annos expleverat. Externus ejus ornatus similis erat ornatui mumiā Gottingensis, ab Heynio illustratae (16). Resina perfusam fuisse cranium & fasciae testabantur, quamvis nil praeter nuda ossa ex ea superessent. Maxillae prominabant, sed non adeo, ut prominere solent in facie nigritae in Guinea Africae provincia nati. Est nempe inter Aethiopes quaedam nationalis characteris & formae diversitas, qualis & inter Europaeas gentes reperitur; & hanc in mumiis, aliisque aegyptiae artis monumentis diligenter observandam esse suadet Blumenbachius ex eo, quod de Aegyptiorum origine ex Aethiopia deducenda vix aliquod dubium hodie supersit. Nam I. Aegyptii, teste Herodoto, lib. II., cap. 55. octodecim reges Aethiopes habuerunt. II. Ducenta & octo millia bellatorum aegyptiorum in Aethiopiam in Aethiopiam transierunt sub Aegypti rege Psammeticho, teste eodem Herodoto, libro II.

c. 44.




( 16 ) Vide Commentationes Societatis Regiae Scientiarum Gottingensis per annum 1781., Vol. IV., Gottingae 1782., ubi haec mumia aeri incisa exhibetur.



e. 44. Cūr vero id egissent, nisi *Æthiopia* eis proxima fuisset, eaque vetus eorum patria? III. *Strabo*, lib. 17., aperte docet in superiori *Ægypto* *Æthiopes* *Ægyptiis* permixtos habitasse. *Paulo supra catarractem*, inquit ille, sunt *Philæ*, communis *Æthiopum* & *Ægyptiorum* habitatio structa quemadmodum *elephantina*, & pari magnitudine. Hæc *templa ægyptia* habet, ubi ales colitur, quem *accipitrem* vocant, qui nec nostris simile quidquam habet, nec *Ægyptiis*, nam & magnitudine excedit, & varietate longe diversus est. Dicunt eum *Æthiopicum* esse, & inde afferri, cum alter deficit. IV. Animalia pleraque, quæ *Ægyptus* coluit, *æthiopica* fuere, ut e. g. hic *accipiter*, *ursi*, *leones libyci* &c. V. *Babi æthiopicus* *Ægyptiis* *Typho* est, & hujus sedem, teste *Plutarcho*, ipsi *Ægyptii* in *Æthiopia* collocant. VI. Rationi conformius est dicere, *Æthiopes* *Nili* ripas legendo, ex montibus *Æthiopiæ* in *Ægyptum* descendisse, quam *Ægyptios* ascendisse, nam *Ægyptus* inferior, quam *Delta* vocant, nova prorsus terræ aggestio est, teste *Plutarcho*, *Herodoto*, & *Strabone* per *Nili* aquas facta. *Ægyptus*, inquit *Plutarchus* de *Iside* pag. 357. olim mari tecta fuit. Itaque in metallis & montibus multa etiamnum inveniuntur *conchylia*: & omnes fontes, omnes putei, cum quidem eorum tanta sit multitudo, salsam, atque amaram habent aquam: utpote quod eo reliquia veteris maris obsoleta confluerint. Ipse sensus huic rationi testimonium fert, etenim hodieque cernimus fluvio (*Nilo*) novum aggerente limum, terramque adducente paulatim recedere mare, atque retro defluere: fundo ob aggestionem materiae altitudinem nanciscente. Idem de *Ægypti Delta* docuit *Herodotus* lib. II., cap. 40. Qui ergo fieri potuit, ut inferior *Ægyptus* olim incoleretur, si nihil nisi mare & aqua fuit? VII. Primi *Ægypti* reges, primumque regnum *Thebis* fuit, quæ urbs est in superiori *Ægypto* ad *Arabicam Nili* ripam sita. Ei opposita erat *This*, urbs ad *Libycum Nili* latus collocata, & per solum flumen ab illa separata. Ex his duabus urbibus vetustissimos *Ægypti* reges & populos descendisse, post *Herodotum* & *Strabonem* prodidit

*Mar.*

*Marshamus, & Perizonius* (17). Jam vero cum Thebana provincia, teste *Strabone & Ptolemao*, Æthiopiæ, Libyæ, & Troglodyticæ sit finitima, quâ accidere potuit, ut nulla Æthiopum cum Ægyptiis succederet permixtio? (18). VIII. Ægyptiis & Æthiopibus idem semper fuit circumcisionis ritus. Recutiti fuere masculi, excisæ autem fœminæ. IX. Cadavera defunctorum salendi, urnas gypso imbuendi, speciem oris in corpore pingendi, totam denique mumiam ornandi morem Ægyptios ab Æthiopibus accepisse *Herodotus* scribit, lib. III. 24., & post eum *Heyne* (19), & *Lilius Gyraldus* (20). Qua igitur ratione certa instituta Ægyptiis attribui possunt, quæ palam & aperte Æthiopica sunt? X. Sed ut multa alia prætereamus, quæ heic afferri possunt, id unum tamen non est negligendum, quod Ægyptiorum originem æthiopicam.



(17) *Ægypt. Orig. investigat.* cap. 12.

(18) Confer *Strabonem* lib. 16., & 17. ubi narrat, Æthiopes, etiam Romanis Ægypto imperantibus, in tres romanas cohortes involasse, *Syenem Elephantinam & Philes* expugnasse, captivos duxisse, *Cæsaris* statuas evertisse, ac tandem a Romanis debellatos fuisse. Vide etiam *Ptolemaum* in rara Bononiensi edit. anni 1462., ubi *Marmarica, Libya & Ægypti* situm, urbesque distincte describit, ac *Thebaidis* oppida enumerat. Adde his *Dionysium in orbis descriptione*, pag. 687., t. I. inter *Poetas Græcos Vet. Carm. Her. Script.*, *Auréliæ Allobrog.* 1706.; & ibidem *Tzetze* in suo *Alpha* distinctionem Æthiopiæ in Orientalem & Occidentalem, ubi ait:

*Post Æthiopiam est habitata rursus Æthiopia,*

*Et post ipsam Ægyptus Nilo separata*

*Æthiopias terminans, dico autem Orientales*

*Æthiopias simul, atque Ægyptum similiter.*

*Ἀἰθιοπίας ἐπισμῶν, λέγω δὲ πάλιν ἑῶνας*

*Ἀἰθιοπίας τὴν ὀρεῖαν, ἔτι Ἀἰγυπτίων ὁμοῦτος.*

(19) *Heyne* in *mumia Gotting.* pag. 8.

(20) *Gyraldus De Sepulcris*, tom. III. in opere inscripto: *Miscellanea Italica Erudita*, *Parmæ* an. 1691. pag. 407. *Postquam Æthiopes mortuum*, inquit *Herodotus, sive Ægyptiorum, sive aliorum more arefecerunt,*



picam esse manifeste probat. *Blumenbachius* generis humani varietates describens (21), quinque principes classes numerat. I. *Caucasiam*, II. *Mongolicam*. III. *Æthiopicam*, IV. *Americanam*, V. *Malaicam*. *Æthiopica* variatio definitur: colore fusco; capillo nigro & crispo; capite angusto a lateribus compresso; fronte gibba, fornicata; ossibus jugalibus antrorsum prominentibus; oculis magis eminentibus; naso crasso & cum mandibulis porrectis quasi confuso; limbo alveolari angustiore, antrorsum elongato; dentibus primoribus superioribus oblique prominentibus; labiis tumore impletis; mento retractiore. Major pars veterum ægyptiæ artis monumentorum capite, oculis, naso, labiis, mento, ossibus jugalibus hunc æthiopicum characterem præ se fert. Græco-ægyptia, & Romano-ægyptia excludimus. Vera & sincera ægyptiaca monumenta sola in censum sunt vocanda. Sed videndum superest, an hic ipse æthiopicus character Ægyptiis non erat communis. *Volney*, celeberrimus ille, nec ineruditus circulator in suo *Itinerario in Syriam & Ægyptum*, tom. I. pag. 74., 75., 179. *Ægyptios* describens inquit: *Tous ont un ton de peau jaunâtre & fumeux, qui n'est ni grec, ni arabe: tous ont le visage bouffi, l'œil gonflé, le nez écrasé, la lèvre grôsse; en un mot, une vraie figure de Mulâtre. J'étais tenté de l'attribuer au climat, lorsqu'ayant été visiter le Spynx, son aspect me donna le mot de l'énigme. En voyant cette tête caractérisée Nègre dans tous ses traits, je me rappelai le passage remarquable d'Hérodote, où il dit: pour moi,*

runi, totum gypso inducunt, picturaque exornantes representant, quoad fieri potest, effigiem ejus: deinde cippum ei cavum e vitro, quod apud illos multum est, & facile effoditur, circumdant, in cujus medio mortuus interluccet. Herod. lib. 3. cap. 73. edit. Francof. En ergo cipporum, pyramidum ægyptiarum, & mumiarum condendarum originem! *Æthiopica* est, non *Ægyptiaca*.

(21) *De Generis humani Varietate nativa*. Editio tertia; *Gottingæ* 1793., Sect. IV. §. 81. p. 283.



moi, j'estime que les *Colches* sont une colonie des *Egyptiens*, parce que, comme eux, ils ont la peau noire & les cheveux crépus: c'est-à-dire, que les anciens *Egyptiens* étaient des vrais Nègres de l'espèce de tous les naturels de l'Afrique. Vides ergo *Ægyptios æthiopici generis & originis esse*: ne autem hoc in hodiernos *Ægyptios Coptos* detorquere possis, obstat *Lucianus*, & *Herodotus* lib. II., cap. 55. edit. Francof. pag. 125., ubi *Colchos* ab *Ægyptiis* ideo descendisse arbitratur, quia *Colchi*, sicut ipsi *Ægyptii*, atro colore sunt, & capillo crispo. *Ægyptii* ergo veteres *Nigritæ* erant, quales hodierni *Copti*, & nonnulli alii *Æthiopes*. Recte igitur *Blumenbachius* indignatur *Winckelmanno* & *D'Hancarvillio* (22), quod omnibus ac singulis *Ægyptiis* veteribus unum vultum tribuerint; & primus quidem eum plane *Sinensem* esse judicaverit, a vero ægyptio vultu toto celo distinctum. Quod vero, inquit *Blumenbachius*, *Ægyptiorum veterum* faciem gentilitiam attinet, mirari satis nequeo, qui celeberrimi archaeologi *Ægyptiacæ* artis veteris studiosissimi, omnibus ac singulis unum eundemque communem vultum tribuere potuerint; cum accuratior horum monumentorum contemplatio & comparatio me apertissime docuerit tria in iis faciei genera distinguenda esse; alterum scilicet *Æthiopicæ* affine; alterum *Indicæ*; tertium vero in quod utrumque istorum temporis progressu & climatis specifici *Ægypto* proprii influxu, abiit, habitu spongioso & flaccido, mento brevi, & oculis prominentibus insigne. De his tribus gentilitiis vultuum ægyptiorum formis, ac triplici caractere artis veteris ægyptiacæ monumentorum is ipse luculentius disseruit in *philosophical Transactions* an. 1794. P. II., pag. 191., & in mumiis ægyptiacis sigillatim in opusculo inscripto: *Observations on Some Egyptian Mummies opened in London*. Non vacat trinum hunc gentilitium ægyptium characterem uberius descri-

( 22 ) *Blumenbach*, *ibidem*. Sect. III. pag. 187.



scribere. Æthiopico-ægyptium jam attigimus. Indico-ægyptius character est longior, acutior, & subtilior nasus, majora sed tenuiora supercilia, quæ a nasi vertice versus tempora excurrunt, altiores aures, delicatior & brevior structura corporis, crura longiora. Talis formæ est protome fæminea, expressa in sarcophago mumix *Lethieullierana*. Tertius character ex illis prioribus duobus conflatus, ab illis abludit turgido, spongioso, & flaccido habitu corporis, flaccidis genis, breviori mento, oculis prominentibus. *This is*, ait Blumenbachius, *characterized by a peculiar turgit habit, flabby cheeks, a short chin, large prominent eyes, and rather a plump make in the person*. Hanc classem mirabilibus & quamplurimis varietatibus subjectam esse, suadet variarum gentium in Ægyptum confluxus. *Jones, Cares, Libyi, Persæ, Babylonii*, teste *Herodoto*, olim Ægyptum inviserant, & diu incoluerant. *Hebræi Israelitæ, Mose* affirmante (23), 430. annos in Ægypto exegerant. *Romani*, si *Plinio, Straboni, & Plutarcho* fides, diu Ægyptum tenuere. Quam frequens itaque non fuit exteri nationalis characteris cum primævo Ægyptio permixtio & confusio? Quanta varietas nasci debuit in ipso gentilitio Ægyptiorum characterem? *Hagar*, e. g., ægyptia ancilla, quæ ex *Abrahamo Ismaelem* peperit, in filio suo *Ismaele* nec puram chaldaicam faciem, nec perfectum æthiopicum vultum protulit, sed ex utroque gentilitio characterem mixtum (24). Res igitur certa est, generatim loquendo, æthiopicum characterem in veteribus ægyptiæ artis monumentis observandum esse, utpote qui in iis revera existit: hic tamen non ita constans est, ut ad alium non deflectat ac mi-

d

scea-

( 23 ) *Exod.* 12. 14. 37.

( 24 ) Dum hæc scribo, sub prelo sunt Dissertationes duæ, quas in *Actis Italica Societatis* vulgari sentio, in quibus de causis disquiritur varii coloris in nationibus, & præsertim in Æthiopicis. Physiologicæ quæstio pertractatur. Altera ad *D. Leopoldum Caldanium* spectat, celeberrimum Patavini Gymnasii Professore; altera autem ad *D. Flavianum* eius ex fratre nepotem, a me superius laudatum.

sceatur. Hæc importuna digressio veniam benigni lectoris merebitur, si meminerit, nos paulo infra de *Obiciana* mumie nationali charactere loquuturos esse; ac pleraque, quæ ex *Blumenbachio* recitavimus, tenebris obvoluta manere, nisi longiori dissertatione illustrentur.

V. Mumia D. Caroli *Greville*, eadem quæ postea D. Joannis *Simmon*, pueri alicujus sex circiter annos ætatis numerantis esse creditur; eaque nihil singulare offert. Larvæ interior pars non cretacea, aut ex telæ stratis compacta fuit, sed anaglypho opera excisa, ac deinde pigmentis illita. Nulum in ea resinæ indicium. Quocirca non inter solidas seu compactas mumias, quæ solæ magni pendi debent, sed inter molles, vino palmeo, nitro, aut herbis aromaticis conditas recensenda est.

VI. Mumia *Lipsiensis*, alta 3. cubitos, descripta fuit a D. *Kettner*.

VII. Mumia *Gothana* excellens, & notarum hieroglyphicarum locuples, aperta & illustrata fuit a D. *Herzog*, anno 1715. Vide ejus opusculum inscriptum: *Mumio-graphia medica: oder Bericht von Egyptischen Mumien*. Gotha 1716. in 8.

VIII. Mumie duæ *Wratislavienses* diligenter examinatae ab And. *Gryphio* anno 1662. Harum una mulierem juvenem referebat, Gottingensi mumie similem. Integumenta adeo viriata sunt, ut ex notis hieroglyphicis nullus sensus elici possit.

IX. Mumie quatuor *Hafnienses*, quarum tres a *Niebuhr* Museo Regio illatae sunt. Una dissecta fuit a *Brünnich*, altera a Rege Daniæ Academiae Regiæ Gottingensi dono data. De hac paulo infra. Inter has magnitudine illa excellit, quam olim e Museo *Werliano* æri incisam vulgavit Athan. *Kircher*, *Æd. tom. 3., pag. 429.*, & iterum illustravit *Jacobans* in Museo Regio Hafniensi, *tab. I.* Illa prior, quæ adhuc in Museo Regio asservatur, in pectore Osiridis loco appictum gerit scarabæum alatum; ac proinde proxime accedit mumie *Obiciana*, quæ in pectore eundem exhibet sca-




sabæum alatum, cui insitum adhæret caput accipitris. Illic inter duos serpentes *uraos* cernitur globus; symbolum quod emicat etiam in operculo arcæ Mumia *Obiciana*. Mumia a *Brünnich* dissectæ vultus auro fuit obductus, quod argento, fortassis perexiguo, aut nullo glutine aggestum, illitum fuisse videbatur. Aurea pariter est facies Mumia *Obiciana*.

X. Mumia *Gottingensis* a *Gmelino* aperta, & ab *Heynio* illustrata barba caret, ut nostra. In pectore gerit *Isidem* alatum, expansis manibus, musæ folium, symbolum fertilitatis, vel ut *Plutarchus* ait, *irrigationis, fetationisque* indicium, una manu tenentem. Multa pigmenta defluerunt; ac proinde nostra mumia eam sua integritate & præstantia longe superat. Illustrata fuit uberi doctrina, sed rudi stylo ab *Heynio*, qui hujus mumia simulacrum æri incisum exhibet ad pag. 8. suæ *Dissertationis*. Singulare est illud, quod ea intus non cedria, non asphalto aut resina repleta, & delibuta fuerit, sed pulvere herbarum, fructuum, corticum, florum, foliorumque, quorum succus amarus & adstringens, vi aliqua aromatica ad putredinem coercendam valet. Vide *Gmelini Experimenta nonnulla cum mumiis instituta*, Vol. IV. *Comment. Soc. Reg. Scient. Gotting.* 1781. Hæc mumia pedibus innexa fert sandalia xylina, creta imbuta, ac demum intus colore gilvo, afforis vero gilvo-cæruleo decora. Mulierem fuisse, non solum hæc sandalia, mentum imberbe, sed cumprimis os sacrum latius, non admodum versus anteriora incurvatum, tum claviculæ leniter inflexæ, rami denique ossium ischii versus os pubis tendentes, annuntiabant. Juvenem autem, quæ necdum pubertatis annos excesserat, esse indicabat sternum partibus sejunctis constans nondum continuis, vertebræque ossis sacri nondum ita copulata, quominus junctura discerni possent. Hæc itaque certa sunt muliebris sexus in mumiis indicia. Barbæ defectus parum arguit. Quot enim sunt viri & juvenes imberbes? An etiam hos inter *fæminei* sexus mumiis numerabimus? Sacerdotes ægyptios *barbam* rasisse prodidit *Plutarchus*: an ideo universi *Ægyptiæ*

barbam radebant? Audiatur *Herodotus* lib. II. cap. 45. *Deorum Sacerdotes*, inquit, *alibi comati sunt, in Ægypto derasi. Apud alios ritus est, statim in funere proximi capita deglabrari: Ægyptii in funeribus sinunt capitis crines argescere, barbam tamen tondent. Quod si barbam tondent in luctu, quid n̄ eam gestaverint extra luctum? Non est ergo cur se torqueat clariss. Heyne* in ea quæstione solvenda: cur in aliquibus mumiis & aliis Ægyptiacis monumentis *Osiris* aliique dii nunc barbati sint, nunc imberbes; falso enim laborat supposito, nempe Ægyptios in universum rasos semper fuisse. Nec illi ægyptiacæ archæologiæ magistro, quamquam sibi plurimum fidenti, fides adhibenda, qui ægyptiacis monumentis *Osiris* aut alterius dei vel hominis simulacrum referentibus & barba instructis, ex vetustissima consuetudine barbam appictam vel insculptam esse docet, contra recentiorem Ægyptiorum consuetudinem, qui eam universi rasisse eidem ipsi videntur. Barbati & imberbes omni ævo pro temporis circumstantiis erant Ægyptii; quemadmodum & Indi qui tempore luctus & jejunii ac dum uterum gerit mulier, barbam alunt, alias vero radunt, vel dimidiatam gerunt. Quantæ variationes in Sacerdotum barbis in Europa (25)? Quantæ non debuerant esse in Æthiopicis, qui procul dubio inter antiquissimas orbis gentes sunt referendi (26)?

XI. *Mumia Cantabrigensis a Middletonio* negligenter descripta, cranium exhibet omnis medicaminis expers, ossa autem nuda, & cadaver corruptissimum. De ea vide *Heynium*, & *Blumenbachium* in *Decade craniorum* pag. 13., Vol. X. *Comment. Soc. R. Gotting.* 1791. In hac *Cantabrigen-*



( 25 ) Vide *Pierii Valeriani Declamationem pro Sacerdotum barbis*, ad ampliss. Card. *Hippolytum Medicem* in edit. oper. *Pierii*. Parisiis anno 1533. vulgatam.

( 26 ) Vide de his *Jac. Bryant New System of ancient mythology*, T. I. *Bruce Reisen zur Entdeckung der Quellen des Nils*. T. I., *Jones, Asiatick Res-*



gensi, & in duabus mumiis Musei *Hunteriani* sub pollice pedis hærebat radix bulbosa, cæpæ similis. Ejus meminit *Blumenbachius* in mumia majori Musei *Britannici*, ac bulbum hunc cæpæ similem esse diserte affirmat. *Allia & Capas* ab Ægyptiis inter numina relatas fuisse memoriæ prodidit *Juvenalis*, & *Plinius* lib. XIX. cap. VI. *Allium cepasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus*. Si bulbosa illa radix cæpa est jam patet cultus ratio & causa, qua inducti sunt Ægyptii eam mumiis inserendi. Hæret autem inserta non solum pedis pollicis, sed nonnunquam etiam generationis partibus. De allio nuperrime elegantes adnotationes vulgavit mei amicissimus *Florianus Caldani* in Opusculo quod inscripsit: *Osservazioni sopra due versi dell' Egloga seconda di Virgilio*. Patavii 1798.

XII. Mumia *Soc. Reg. Londini* descripta a *D. Hadley* in *Transact. philosoph. huj. Soc.*, manus habebat in pectore junctas, cum aliæ plerumque eas ad femora protensas gerant. Duo brachia mumiarum quæ ad celeberrimum *Vallisnerium* antea spectabant, nunc vero in Museo *Universitatis Patavinæ* asservantur, pariter ad femora protensi brachii formam habuisse videntur. In uno ferrea virga per totum brachium excurrens ossa pellemque sustentat: quam avulso jam a cadavere brachio inductam fuisse quisque perspicit. In utroque brachio & manu cutis & ungues sunt manifesti. Carnem ex iis protractam fuisse, ac resinam in ejus locum infusam ostendunt interiora brachii & vola manûs aperta ac resina seu cedria nigrescente refertissima. Brachium majus integrum, altum pollices viginti octo, quod ægyptiæ mumix esse creditur, resina abundat: alterum vero, cui ferrea virga inducta fuit, perpauca resinam continet. Hoc brachium mumix *Arabix* esse creditur. Eadem res obser-

va-

Researches, tom. II. *Discourse on the Arabs*: ac præsertim *Diodorum Sic.*, qui magnarum statuarum usum, & litterarum characteres, quæ animalibus constant, ab Æthiopibus fluxisse affirmat, apud *Volaterranum*, *Geogr. lib. 12.*

vatur in duobus craniis mumiarum ejusdem Musei. Unum grave, & resina plenum est, quæ ex illo quasi stillat & effluit: Aliud, resina vestigium exhibet fere nullum. Illud maxillas habet *prominens*, hoc autem *depressas*. In eodem Museo exstat simulacrum artefactum, quod internam in mumiis fascia involvendis artem formamque exhibet apud Ægyptios usurpatam. Admirabile hoc imitamentum ex mumia Magni Ducis Hetruriæ desumptum, non solum insignem Ægyptiorum in cadavera curam, Pollinctorum & Taricheutarum artem, sed etiam maximum studium in corpore fasciis involvendo tegendoque demonstrat, ne cedria aut resina diffunderet, quæ in locum protractæ de corpore carnis succedebat. Observavi hoc in variis mumiarum fragmentis in Museo *Obiciano* exstantibus, in quibus fasciæ xylinæ, seu tela complicata circum os tibiæ triginta quinque & ultra vicibus circumfertur semper in gyrum recurrens. Hæ ipsæ fasciæ & integumenta in aliquibus mumiis resina, cedria, aut opobalsamo ita imbutæ & perfusæ sunt, ut hodiedum eis virtus insit stiptica ac vulneraria; nam cum nuper homini vulnere affecto ex eodem Museo, experimenti gratia, mumiacæ fasciæ frustum applicatum fuisset, is post octiduum vulnere liberatus convaluit.

XIII. Mumia *Casselana* descripta a *Brückmanno* anno 1782. in notitia data de hac mumia, edita in *Brunsvick* in 4. Ejus meminit *Blumenbachi* pag. 10. in *Decade Cranior.* Vol. X. *Comment. Soc. R. Gotting.*

XIV. Mumia *Munteriana* in pectore fert *Isidem* alatum, ambabus manibus expansis, *clavem* aperti vel oclusi *Nili* symbolum, vel *apertæ* aut *clausæ fetationis* omnium rerum; quæ ab *Iside Dea natura* procedit, indicium, utraque manu gestantem. Eadem dissecta inter fascias internas exhibuit papyri tres scapos a cervice usque ad pedes per totum cadaver decurrentes. Vestigia nostræ papyri subtilissimæ pariter invenit *Blumenbachi* in parva mumia Musei *Britanici* die 18. Feb. anno 1792. dissecta. Ex hoc indicio ille col-



ligit, hanc mumiam jam corruptam, per aliquem Judæum aut Græcum hominem restitutam fuisse, cum supra papyrum soliti ægyptiaci apparerent colores. Mumia *Munteriana* sandalia pedibus gerit, & mento barbato est. Barba pariter instructa est una *Borgiana*, Bononienses mumiarum sarcophagi duo, Venetus, Lethicullieranus, Cantabrigensis.

XV. Mumia *Borgiana* duæ majores quarum una alta est palmos 8. & uncias 9. una cum suo sarcophago, altera alta palmos 8 & uncias 2. Hæc ultima imberbis liberalitate amplissimi Card. STEPHANI BORGIA transivit in Museum Collegii Nazareni Romæ. Harum mumiarum accuratam descriptionem nobis dedit clariss. vir *Georgius Zoega* in suo opere, *De origine & usu Obeliscorum*, Romæ typis edito, sed nondum vulgato. Quantum ex eo, & ipso doctissimo Cardinali arguere licet, in una harum mumiarum colores defluerunt, & collaris ornamenti perexigua vestigia supersunt. Circa imum ventrem usque ad pedes procurunt notæ hieroglyphicæ, in quatuor columnis prasino colore admodum eleganter expressæ. *Anubis* stat vultu viridi, peplo purpureo more mumia caput opertus, manibusque vitam gestans. In altero segmento hinc & inde consistunt duo viri colore rubeo expressi, nudique, si perizoma excipias, quo ad umbilicum cinguntur. Hi una manu baculum aratriformem, altera *clavem*, quam *Heyne* perperam *phallum* esse putat, tenent. In tertio segmento comparent duæ mulieres albæ, veste rubea indutæ, & in genua subsidentes, quarum illa quæ a dextris est, sustinet throni imitamentum colore cæruleo ornatum; altera quæ a sinistris, sacellum seu *paston*. Quemadmodum in omnibus nobilioribus mumiis, ita & in hac adjacent pedibus duo lupi nigri, erectis auribus, gilvo collari, & averrunco flagro instructi. His simillimi duo conspiciuntur lupi in mumia *Obiciana*. Exstant in Museo *Borgiano* etiam duæ mumia minores.


XVI. Mumia *Kircheriana* duæ, nempe *Nardiana* & *Werli-*  
*lia-*

*liana*. De hac ultima mentionem injeci supra de mumiis *Hafniensibus* loquens. Ejus arca notarum hieroglyphicarum ornatu superbit, habet enim in antica parte quinque columnas, variis symbolis insignes. *Nardius* apud eundem *Kitcherum* *Æd. tom. 3., pag. 414.* duos sistit loculos a dorso conspiciendos, in quorum uno humeri figuræ, oculo cum nervis ciliisque affabre expresso, insignantur; cui imminet globus, *Solis* vel *Mundi* symbolum, qui divino illo oculo provide gubernatur. In secundo ordine stant cebi, seu cynocephali duo, manibus ad frontem more adorantium sublatis: qui actus, oculi illius majestatem & numen illustrare, ac confirmare videtur. In tertio ordine adstant duo lupi flagro instructi. In quarto avis capite humano, eoque barbato insignis.

XVII. Mumia *Caylana*, & altera *Parisiensis*. De his vide *Caylus, Recueil Vol. V., Tab. XXVI., & XXIX., & Barthelemy in Mém. de l'Acad. des Inscript. tom. 32. pag. 738.* Ita de *Pocockiana*, quæ paucis notis gaudet, ipsum *Pocock, Vol. I. Tab. 20.*

XVIII. *Veneta* mumia loculus altus est circiter palmos decem: apicem fert larvam barbula insignem, in pectore lupum unum, in vertice columnæ jacentem, quæ unico ordine notarum hieroglyphicarum exarata, ad imum arcæ marginem excurrit. Vultus larvæ albus est teste cl. viro *Georgio Zoega*. In eadem urbe in Museo *Naniano* exstat altera mumia parva, nulla re singularis.

XIX. Mumia *Tuttiana* sarcophagus, cujus meminit idem *Zoega*, æri incisus in *Itinerario Perrii*, in pectore gerit *Isidem* alatum (27), in pedibus autem duos lupos. Ca.  
ret



( 27 ) *Iais*, Indis Brahmanibus *Isbi*, *Ishani*, vel *Ishâ* samserdamica lingua *Dominam* significat, ut *Ishen* vel *Isha* Dominum; unde celebre illud exurgit vocabulum *Sarvêshen*, vel *Sarvêsha*, universi Dominus, quo Iudi fere omnes Deum supremum mundi Dominum compellant.



ret hujus loculi larva barbata : qua etiam destituuntur duo Hafnienses, Gottingensis, Meadianus, Caylianus, Obicianus, Pocockianus, Lisleanus. In majori Mumie Borgianæ arca barba separatim scalpta fuit, & paxilli ope mento affixa. Adscititium ornamentum, ac ligulis & filis subinde mento applicatum fuisse, etiam credit Heyne, pag. 5. in annotat. ad *Mum. Gotting.* Hujus generis barba esse videtur in Osiride Tab. V., fig. III. *Musei Naniani*, quæ e papyri filamentis compacta & funiculo auribus alligata suspendi solebat.

XX. Mumie Bononienses duæ, eleganti pictura præditæ. Harum notitiam debeo C. V. Leopoldo Caldano Bononiensi, nunc Patavii Professore, & G. Zoega in laudato opere de *Obeliscis*. Major mumia alta est palmos novem, eaque

iant. Eadem porro est ratio, Osiridem & Isidem in pectore pingendi alatum. Alæ enim expansæ vim, velocitatem, sublimitatem Isis significant, vel etiam matris Isis curam, qua sub alas seu protectionem suam Mortuos recipit. Illa enim sub tribus formis considerari debet, nempe I. ut naturæ Domina, Osiridis naturæ Domini uxor. II. Ut Luna, Domini Osiridis seu Solis conjux. III. Ut Vesta seu Ceres multimamma, trugum procreatrix, Nili Domina, cujus fluxum illa aperit, claudit, auget, vel aquis destituit, prout ei placet. Sub trino hoc adspectu eam considerandam esse variæ inscriptiones docent, quæ sane explicari nequeunt, si Isis sub solo Luna, Mundi superi, inferique Domina adspectu consideretur. E. g. inscriptio *Saitica* apud *Plutarchum de Iside* sub hoc Lunæ symbolo accipi nequit. *Ego ( Isis ) sum omne quod existit, est, & erit : meumque populum nemo adhuc mortalium detexit.* Naturam seu naturæ Dominam ab Indis, Scythis, Sinensibus & Ægyptiis olim adoratam heic loqui, res certa & explorata est. Simile est illud apud Apul. *Metam.* lib. 11. pag. 362., ubi Isis ita loquitur : *En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum natura Parens, elementorum omnium Domina, Regina manium, prima Calitum, deorum dearumque facies uniformis, qua cali luminosa culmina, maris salubria flumina, inferum deplorata silentia nutibus meis dispenso.* Μυριόβουμος a Plutarcho appellatur; haud dubie a variis suis functionibus, quas exercet, ita dicta. Has functiones, symbola exprimunt in statu; & ex his symbolis & attributis conjiciendum est, an pro natura, aut luna, aut terra hic vel illic accipienda sit.

eaque minori multo elegantior . In pectore fert *Isidem* alatam , colore gilvo expressam , diademate aureo & veste viridi ornatam . Capite sustinet globum aureum, Solis vel Mundi symbolum, circulo cæruleo cinctum, qui fortassis firmamentum, vel mare significat . Utraque manu gerit clavem, qua Nilum , aut naturæ regnum , aut denique ædes subterraneas, in quas post obitum manes proficiscuntur , aperit . Sarcophagus alter , altus palmos circiter quinque, eandem exhibet alatae *Isidis* effigiem, utraque manu musæ folium gestantis, & flexis genibus in columella, paucis hieroglyphicis notis ornata subsidentis (28). Larva hujus sarcophagi aurea est, & barba instructa . In majori loculo larvæ vultus luridus , ex colore pallido & rubescente conflatus . Hæc de mumiis congerere placuit, non solum ut *Mumia Obiciana* major lux accedat, sed etiam ut in synopsis contraherem ea , quæ de mumiis in variis libris sparsa fuerant , & indigesta . Ex his libris plures sunt in Italia rari, & linguis peregrinis scripti; qui solo nomine nostris delicatulis nauseam provocant, & stomachum movent . Huic malo ut occurrerem, fastidioso labore in compendium redegisti totum id quod mihi hætenus de mumiis innotuit . His itaque expositis ad *Mumiam Obicianam* pateat accessus .



( 28 ) *Musa* planta est, arborem mediocrem æquans, trunco molli succo pleno, foliis longis & amplissimis, fructuum feracissima, quæ in *Ægypto* & *India* crescit . Quinque species producit *India* : nempe *Kanpalam*, *Kadalpalam*, *Puvana*, *Eraden*, *Nendaraca* . Folium ejus nuncupatur *Vashila* . Ob summam ejus fertilitatem hæc planta *Indis* in maxima veneratione est, qui aliqua sua numina ex ea progenita fuisse credunt, & fructus illius in delubris eisdem diis offerunt . Recte igitur docet *Plutarchus*, ficum hanc fertilitatis, succi, humoris, & fetationis symbolum esse .



## §. III.

## MUMIÆ OBICIANÆ DESCRIPTIO .

**M**umia *Obiciana*, ut reliqua illius Musei monumenta, collocata asservatur in arca vitrea . Quamprimum hujus arcae repagula soluta , & operculum sarcophagi remotum fuit, acutus, foetidus, & violentus odor meum caput tam vehementer interceptit, ut inde acerbum dolorem contraheret . Quare ut Mumia rite inspici & considerati posset, ex arca vitrea fuit amota , & in aula Musei collocata, quo minus odoratum offenderet . Hoc, ni fallor, satis certum indicium est , Mumiam *Obicianam* more nobilium mumiarum conditam fuisse . Odor ille acutus, foetidus, & aromaticus nonnisi a cedria, myrrha, & asphalto procedere potest . Nobilium seu divitum corpora, protracta carne & intestinis, *myrrha pura*, *casia*, aliisque medicamentis ingestis condita fuisse asserit *Herodotus* lib. II., cap. 52. edit. Francof. (29) . Quod quidem si *Herodoto* concedimus, Mumiam nostram no-

e ij                      bilis

( 29 ) Non est, cur *Herodoti* verba quispiam ad pulverem ex herbis odoratis, aromaticisque confectum detorqueat . *Myrrham puram* & *casiam* ex *Herodoto* legit *Valla*, & *Hen. Stephanus* . Succos amaros & resinaceos putredini melius resistere, quam pulverem ex herbis aromaticis, ipsa *Ægyptiorum* corpora condiendi praxis nos docet . Perpauca sunt corpora hoc pulvere condita, quem in Mumia *Gottingensi* observavit *Gmelinus* & *Heyne* . Hi ipsi pulveres inopiam potius quam divitias indicant eorum, quorum cura mumia illa condita fuit . In plerisque aliis, quas aperuit *Blumenbachi*us, resinæ indicia certa elucebant .

bilis aut divitis personæ cadaver fuisse, concedamus, cum in ea certa eluceant indicia non alicujus aromatici pollinis, sed cedriæ, myrrhæ, & asphalti. Quî enim acutus ille fœtor aromaticus ab ea prodire potest, si asphalti fœtido, & myrrha aut cedria hæc Mumia condita non fuisset? Verum cum interiora illius oculis nostris inspicere & examinare non licuerit, cuique sua sit libera in hac re sentiendi potestas. Vino palmeo, nitro, solis æstu, pulvere aromatico multas mumias curatas fuisse, ex hæctenus dictis patet. Discordes sunt etiam ipsi veteres scriptores; dum de ægyptiaca cadaverum conditura scribunt. *Lucianus* & *Sextus Empiricus* narrat, Ægyptios e cadaveribus intestina educere, dein eadem salire; *Chrysippus* & *Cicero* condire; *Plutarchus* aperire, & aprico loco soli exponere; intestina in flumen projicere; reliquum purgatum corpus asservare prodiderunt (30). *Strabo* ex Ægyptiis alios cadavera (more indico) in flumen projicere; alios vitro circumdata domi asservare; alios in vasis fictilibus alveolisque (more æthiopico) circum templa defossa condire, narrat. Nemini itaque mirum videri debet, si mumias alio & alio modo medicatas & conditas reperiat; neque statim Arabes, Græci, & Judæi Alexandrini *Τυμβωρύχοι*, fraudis & imposturæ sunt accusandi, si mumia incondita, aut præter morem condita in Europam deferatur. Cæterum non Æthiopes solummodo & Ægyptii cadavera condiebant & saliebant. Idem mos etiam ab Assiriis, Judæis, & Scythis servabatur. Hi quidem corpora suorum regum exenterabant, alvum expurgabant, silere contrito, thymiamate, apii semine & anisi complebant, ac iterum resuebant. Assyrii cera & melle condiebant. Judæi  
myr-

( 30 ) *Plutarchus* in *Symposio*, pag. 154. edit. Paris. Ægyptii mortuum dissecto ventre soli ostendunt, deinde intestinis in profluentem abjectis, reliquum cadaver ut jam purgatum procurant.



myrrha & aloe curabant: unde illud apud *Joan.* cap. 19: v. 39., & 40. Ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος, ὁ ἔλθων πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς τὸ πρῶτον, φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡς λίτρας ἑκατὸν. Ἐλάβον ἔν τῷ σώματι τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔθηκεν αὐτὸ ἐν ὀστέοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐπιταφιάζαν. Misereor ergo illorum scriptorum, qui non solum litterarum, legum, artiumque fere omnium originem ex jactabundis Sacerdotum narrationibus & fabulis Ægyptiæ genti attribuunt, sed etiam illius sapientiam ad amentiam usque prædicant. Nihil fere est, quod post longum examen demonstrari nequeat, Ægyptios a *Caucasia* stirpe, & ab *Æthiopicis* accepisse: qualis est hæc ipsa corpora condiendi ratio & consuetudo. *Herodotus*, lib. VII. cap. 178. edit. Francof., gentes in exercitu *Xerxis* militantes describens, etiam *Æthiopes* enumerat. Hi, ait ille, quum eunt in pugnam, dimidiatum corpus gypso, dimidiatum minio illinunt. Et supra lib. III., cap. 75. dum de *Æthiopum* cadavera curandi ritu agit, inquit: Mortuum . . . totum gypso inducunt, picturaque exornantes representant, quoad fieri potest, effigiem ejus. Nullibi meminit *Herodotus*, aliusve scriptor, Ægyptios in vita sua corpora gypso, creta, minio pinxisse & illivisse; quin vestibis lineis indui circa crura fimbriatis, quas *Calasiris* appellant, & deinde super his candida ferre amacula linea superjecta, aperte docet *Herodotus*. Quo igitur ritu, suone, an æthiopico, Ægyptii cadavera pingunt, gypso imbuunt, orisque speciem ad vivum in defuncti corpore exprimunt? Quo ritu, & quo auctore cippos & pyramides erexerunt, & iis animalia insculpserunt, quæ Ægypto non sunt propria, sed adventitia, extera, & æthiopica (31)? Profecto aut Ægyptii e *Noachi* nave post diluvium statim in ipsa Ægypto subsidente, primi generis humani in reliquas orbis partes duces fuerunt; aut si hoc fal-

( 31 ) Vide *Zimmermanni Zoologiam Ægypti & Æthiopiae*.

falsum est, ut nullus dubitat, inter Asiam & Africam medii cum existant; ab illis & per illos, ex quibus exierunt, & per quos transierunt, aliquid se didicisse, fateantur. Ægyptii *nigritæ* sunt, ut supra vidimus. Quis autem credat, primos humani generis duces *nigritas* fuisse? Quis arbitretur, primos homines statim acriores solis æstus in Africa quæsi-visse? Ex Asia itaque, & ex Africa Ægyptiorum origo est repetenda; quia, ut recte monet *Blumenbachius*, *facilior & promptior est degeneratio albi coloris in fuscum, quam nigri in album: & si quidem Ægyptii nigritæ sunt, ut nemo dubitat, ii ex hominibus albis orti, in nigritas degenerarunt climate, solis æstu, vivendi ratione.* Audiamus ipsum *Blumenbachium*. Postquam ille §. 83. in suo excellenti libro, *De Generis humani varietate nativa*, Sect. IV. pag. 297. seqq. *Leibnitii, Linnæi, Buffonii, Pownalli, Ab. de la Croix, Kanti, Hunterique* sententias de origine & varietate humani generis recensuit, §. 85. pag. 303. de *caucasia varietate* ita disserere pergit: *Nomen huic varietati a Caucasio monte, tum quod vicinia ejus, & maxime quidem australis plaga pulcherrimam hominum stirpem, Georgianam foveat; tum quod & omnes physiologica rationes in eo conspirent, in eandem regionem, si uspiam, primos humani generis autochthones verisimile ponendos esse (32). Primo enim loco eam venustissimam, ut*

vi-

( 32 ) Quamquam hæc doctrina sacris paginis sit sat conformis, utpote quæ secundum *Vulgatam* in montibus *Armenia*, juxta vero *Heb. Cod.* in montibus *Ararat* Noemi arcam descendisse supponat, attamen *Berosus* apud *Josephum Antiq. Jud.* lib. 1. c. 4., *Jonathan Chald. Paraphrastes, Onkelos, Bocharz* in *Phal.* lib. 1. cap. 3., & ego ipse defendi, *Gordyæos* in *Parthia* montes esse illos, qui subsidentem Noemi arcam receperant. Vide *Viaggio alle Indie Orientali, umiliato alla Santità di N. S. Papa Pio VI.* Roma 1796. pag. 321., seqq. Omnia, quæ ibi dixi, consonant huic a *Blumenbachio* assertæ opinioni, quamvis ego tunc illius librum ignoraverim. Indorum, Persarum & veterum Germanorum cognationem probat linguæ *Zendicæ, Samscrdamicæ & Germanicæ* affinitas; de qua consule meum *Opusculum Patavii editum an. 1799.*



vidimus §. 62., cranii formam præ se fert ista stirps, ex qua, tanquam ex figurazione media & primigenia reliquæ utrinque usque ad ultima bina extrema ( hinc scilicet Mongolicum, illinc contra Æthiopicum ) simplicissima gradatione fluunt. Tum vero eadem albo colore est, quem itidem pro primitivo generis humani habere licet, cum ex eo, ut supra §. 45. exposuimus, facilis in fuscum degeneratio sit, longe difficilior contra ex fusco ( quando nempe hujus pigmenti carbonacci secretio & præcipitatio ( §. 44. ) semel inveterata radices egit ) in candidum. Et pag. 27. in Observationibus in mumias ægyptias idem ait: *I think the Egyptians will find their place between the Caucasian and the Ethiopian, but that they differ from none more than from the Mongolian, to which the Chinese belong.* Ab his ergo primævis gentibus Caucasii & Æthiopiis palantes descenderunt Ægyptii; & quidquid *Manethon* ac reliqui eorum Sacerdotes, teste *Philone Judæo*, natura sua jactabundi, de infinita gentis & regum antiquitate jactaverunt, hoc omnino falsum est, & fabulosum (33). Quia vero hic quispiam nobis objicere potest, Ægypto proximos Arabes æque ac Æthiopes Ægyptiorum parentes esse debere, cum multos eorum, teste *Herodoto* & *Strabone*, inter Nilum & rubri maris occidentale litus habitasse liquido constet, & huic dubio breviter respondendum est. Non negamus Arabum cum Ægyptiis permixtionem; e Mesopotamia, e Chaldæa, ex Arabia in Ægyptum transitum & viam paruisse, Abrahami, Mosis, Israelitarum, ac reliquarum gentium itineribus manifestum est. Sed hac de re *Herodotum* audiamus. *Is gentes in exercitu Xerxis militantes describens, lib. VII. cap.*

( 33 ) Conferri hic debent ea, quæ *Perizonius* habet *Ægypt. Orig. Investigat.* cap. 12. adversus *Usseii* chronologiam, & *Marshamum* de antiquitate & serie horum regum, utique dissona ab aliis gentium Chronologiis. Primi Ægypti reges pastores erant, *reguli* & non *reges* dicendi.

cap. 178. ait: *Arsames quidem Æthiopibus, qui sunt trans Ægyptum, atque Arabibus præerat. Ii autem Æthiopes, qui ab ortu solis sunt, nam bifariam militabant, censebantur cum Indis, specie nihil admodum a cæteris differentes, sed sono vocis (linguæ) dumtaxat, atque capillatura. Nam Æthiopes, qui ab ortu solis sunt, promissos (rectos) crines, qui ex Libya, crispissimos inter omnes homines habent. Æthiopes autem hi, qui ex Asia erant, pleraque arma quæ Indi gestabant, pellesque frontium equinarum cum auribus atque juba, in capitibus, ut ipsa juba pro cristis essent, & hirtæ aures equinæ rigerent. En ergo quibuscum militabant Arabes trans Ægyptum. Cum Æthiopibus sibi vicinis, & sub uno duce *Arsame*. Sed quinam sunt hi Æthiopes Orientales ex Asia oriundi, qui rectos capillos, & differens idioma habebant, cum Indis censebantur, & Indica arma gestabant? Profecto duo genera Æthiopum heic admittenda sunt: *Asiæ* nempe & *Africæ*, & hi capillis crispis, illi autem rectis. Hi ipsi ab Indis separatim militabant, cum Indis tamen censebantur. Aderant ergo aliqui Æthiopes Indi ad littora maris rubri jam ab antiquissimis temporibus degentes, & ipsis Ægyptiis finitimi. De his, ni fallor, loquitur *Eusebius*, *Chron. Scalig. edit. pag. 72.* dum ait: *Æthiopes ab Indo flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt. Idem habet Syncellus apud Marshamum pag. 115., Philostratus lib. 3. cap. 6. in vita Apollonii ubi ait: Erat aliquod tempus, quo Æthiopes consederunt hac in parte, gens Indica; & lib. 4. c. 6. Sapientissimi mortalium Indi sunt; coloni autem eorum Æthiopes.* Confer de Philosophis Indicis in Ægyptum translatis *Lud. Vives super cap. 17. lib. 14. S. Augustini de Civit. Dei, & Meiners Commentationem de Veterum Ægyptiorum origine, Vol. X. Comment. Soc. Reg. Scient. Gotting. 1791., pag. 70., & seqq.,* ubi validissimis rationibus probat, Ægyptios non solum ab Æthiopibus *Africæ*, sed cum primis ab Æthiopibus *Asiæ*, seu veris *Indis*, recto crine decoris, ortos fuisse; & ab his ultimis æque ac a primis multos ritus, leges, dogmata, mores ac-*



accepisse. Nam I. Indis & Ægyptiis primus rex, & Legislator est *Menes* seu *Menu*. II. Indi & Ægyptii litteras & leges a Mercurio seu *Herma* se didicisse jactant. III. Indi & Ægyptii *Apim* bovem, & vaccas colunt. IV. Indi & Ægyptii litteras, seu notas hieroglyphicas habent. V. Indi & Ægyptii *Osiridem* & *Isidem* nomine diversos, re autem eosdem deos adorant. VI. Indi & Ægyptii multi mortuos in flumen projiciunt. VII. Indi & Ægyptii crocodilum venerantur. VIII. Indi & Ægyptii aspides seu serpentes *uraos* colunt. IX. Indi & Ægyptii *Paddalam*, seu locum subterraneum admittunt, in quem animæ a corpore solutæ delabuntur (34). X. Indi & Ægyptii transmigracionem animarum in animalia docent. XI. Utriusque gentis Sacerdotes raduntur. XII. Utraque gens in quatuor classes seu tribus distinguitur, nempe in Sacerdotes, Reges ex quibus milites, in agricolas, & in artifices. XIII. Indi & Ægyptii subsidentes mingunt. XIV. Indi & Ægyptii Sacerdotes infinitam antiquitatem suam & Reges inumeros fabulosos jactant. XV. Hi ipsi carnis esu abstinebant; quamvis ab hac regula, quam hodie dum servant *Brahmanes*, recentiores Ægyptii Sacerdotes desciverint. An hæc omnia, & plura alia quæ heic afferre possem, casu & fortuito nata sunt & observata apud utramque gentem? An nulla veteribus Ægyptiis cum Indis cognatio & communio? Cur hæc eadem agnatio inter Arabes & Ægyptios æque non reperitur? Nec obstat Ægyptiorum circumcisio: nam hanc & alios nonnullos ritus & mores Ægyptios ab Æthiopibus accepisse, ultro concedimus, quemadmodum & utramque scripturam hieroglyphicam nempe & syllabicam; quæ ultima apud Ægyptios *He-*

f

ro-

( 34 ) *A'idm* Græci dicunt, invisibilem nempe locum, in quem *Rhampsinitum* regem vivum descendisse, ut alea cum Cerere luderet; rediisse autem mantili aureo ab ea ornatum Ægyptii referunt, *Herodoto* teste, lib. II.

*rodoto* teste a dextra ad sinistram gradiebatur, contra id quod usuvenit apud Indos. His igitur, aut similibus argumentis inductum fuisse credimus *Blumenbachium*, ut inter gentilitias Ægyptiorum facies post æthiopicum vultum, maxillis & labiis prominentibus insignem ac simo naso distinctum, indicam faciem reponeret, ab illo *toto celo* distinctam, quæ in mumiis & aliis antiquis ægyptiæ artis monumentis revera reperitur, quia illi genti propria, nativa, gentilitia est, non autem adventitia & peregrina. Indi enim fuere primævi Ægyptii, si non omnes, saltem potior pars eorum, quæ moribus, religione & vultu sese disinguit a puris Africæ Æthiopibus, a Judæis, ab Arabibus, Græcis & Romanis. Consule *Lucianum* in *fugitivis*, pag. 369. tom. 3. edit. Amst., & *Quintini Crawford* lib. de *Orient. India*, pag. 138. edit. Londin. 1788. His igitur, ut expedit, prælibatis, ad vultum Osiridis Entaphii, qui operculo sarcophagi Mumie *Obiciana* appictus est, describendum gradum faciamus.

Larva hæc est imberbis, macra, anaglypho opere excisa, tota fusca, tristi & inamœno adspectu. Peplum obscuri coloris, quale & in aliis mumiæ arcis visitur, caput larvæ operit, & per humeros replicatum in utramque pectoris partem defluit. Hoc ipsum vitta ligari solitum fuisse, suadet indicium vittæ seu fasciæ horizontaliter per frontis verticem decurrentis, & caput cingentis. Simile peplum in multis Isidis & Osiridis statuis occurrit in Museo *Obiciano* exstantibus. Unum insigne cernitur in simulacro *Matris Deum* in Museo *Naniano* Venetiis tab. II. num. I., a C. V. *Georgio Zoega* descriptum. Frons larvæ in hoc sarcophago expressæ lata est & spatiosa, contra id quod exhibere solent frontes *Æthiopum* quæ sunt *gibbæ* & *fornicata*. Oculorum supercilia tenuia, nigra, ad nasi radicem haud modice disjuncta, & valde versus tempora procurrentia. Pupilla, albogineo oculi colore circumdata, nigerrima est; palpebræ & cilia nigra, tristem potius & torvum adspectum præ se ferentia.

Na-



Nasus longior, tenuis, rectus, in vertice modice depressus, ossa jugalia haud parum prominentia, labia parva, rubra, compressa, leniter tumentia: mentum modicum & angustum: tota facies perfectam semiovaem refert figuram, sed, ut dixi, tristem & inamœnam. Quamvis vero minime censendum sit pictorem defunctæ personæ vultum exprimere voluisse cum hæc ipsa facies ab interno mumie vultu discrepet, attamen certum est, eum in hac larva gentilitium quemdam ægyptium vultum expressisse. Quis enim credat eum alienigenæ & peregrini alicujus faciem adumbrare voluisse præsertim in Ægypto, ubi maxima superstitio & gentis tenacitas deos suos patrio more fingendi vigeat? Cum igitur hic vultus ægyptius, nec purus æthiopicus sit neque perfectus indicus, aut arabs, ex æthiopico & indico mixtum esse concedamus est necesse. Vide *Blumenbachii lib. de Varietat. Gen. humani* (35) ubi indici & æthiopici vultus varietatem explicat; & de mumiiis ægyptiacis *Observat. pag. 17. fig. tres*, in quibus ex ægyptiacis monumentis trina vultus ægyptiaci gentilitia varietas æri incisa distincte exhibetur. Totum hoc simulacrum operculo Mumie Obiciana appictum Osiridem *Entaphium seu mortuum regem & præsidem* refert; is enim, *Herodoto teste, lib. II. cap. 60.*, Ægyptiis inferorum principatum tenere videbatur; & celebres sunt etiam Inscriptiones romanæ, in quibus anima defuncti commendatur Osiridi aut Isidi (36). Hic Osiris in nostro sarcophago exhibet columnam notis hieroglyphicis refertam, quæ ob peplici plicas in pectore coarctata, a mento ejus usque ad

f ij suf.

( 35 ) Sect. III. §. 66. pag. 233. Sect. IV. pag. 293.

( 36 ) Gruterus in *thes. inscrip.* pag. 917. num. 1., & pag. 794. num. 3. Formulæ æternam quietem & solamen animæ defuncti apprecandi sunt: *Bono animo sis: det tibi Osiris aquam frigidam. Bono animo sis cum Osiride.* Huc referenda sunt multa Osiridis amuleta in Museo Obiciano exstantia, quæ Ægyptii ex collo gestabant ad impetrandam post obitum regis Osiridis gratiam.

suffraginem pedum procurrit . Alta est pedes duos & unciam unam , lata circa pectus uncias octo . Totam hanc columnam ambit fascia coloris flavi , seu margo quidam gilvus , qui symbola continet seu notas hieroglyphicas , variis ordinibus & segmentis disunctas . Prima illa columnæ pars contractior , sub mento Osiridis exstans , striis verticalibus insignitur , quarum prima , a sinistra manu in dextram progrediendo , est viridis , secunda rubra , tertia cærulea , quarta viridis , quinta rubra , sexta cærulea , & sic consequenter striæ duodecim . Hunc primum ordinem dispungit ornatus quidam tessellatus , ex iisdem coloribus conflatus , sub quo segmentum comparet longum τετραγώνον septem genios , musæ folium , ut mihi videtur , manu gerentes , & in genua subsidentes , complectens . Osiridis famuli , & ministri hi genii esse videntur , & numero septem : qui numerus Ægyptiis æque ac Indis ob numerum septem planetarum sacrosanctus est . Post hunc ordinem comparet area alba , in qua stat porta bivalvis cinerei coloris , duobus pessulis ferreis oclusa . Superliminare illius urnæ formam refert , & in vertice ornamentum gerit & septem globulis rubeis constans , ex quibus singulis folium viride assurgit . Fortassis & hoc ipsum per septem globulos , septem planetas ; & per folium viride ex iis assurgens , irrigationem , fetationem , & fertilitatem , quam planetæ suo influxu producere credebantur , significat . Palmulæ seu musæ folia toties repetita , *Osiridem* non solum mortuæ & languentis naturæ regem , sed etiam virescentis & florescentis dominum esse , apertum præbent indicium ; sive is naturæ rex & dominus , sive *Sol* inferi , superique hemispherii rector & anima esse dicatur . Hæc ipsa porta duobus pessulis clausa , magni numinis intus latentis non equivocum est signum & fortassis *Osiridem* intus latentem adumbrat , inferorum præsidem , ad cuius tribunal omnis anima comparere debet . Hinc in mumia *Lethieullierana* *Hermes* ibiocephalus coram *Osiride* stans , manu pugillares tenens , stilo signat merita defuncti , quem mulier mor-



mortis ministra operata facie manu prehensum adducit ad judicem *Osiridem*. Sententiam nostram confirmat hoc ipsum arcæ nostræ operculum, in quo ad utrumque portæ latus stat mulier, in vertice capitis globum sustentans, & una manu ad frontem elata, intus latens numen adorans. Quare porta hæc aditum notat in *Haden*, Græcis αἰδὸν seu inferorum regnum, quo animæ a corpore solutæ ad regem mortuorum *Osiridem* feruntur. Confer supra *Plutarchi* locum, & *Herodotum*, lib. II. cap. 60, ubi ait: *Inferorum principatum tenere Cererem, & Liberum Ægyptii ajunt*: Liberum autem & Cererem Ægyptiis *Osiridem & Isidem* esse, is supra cap. 46. dixerat. Simile judicium & principatum in mortuos deo *Shivæ* Indico a Brahmanibus attribui docet Tab. XXIII. Musei Borgiani in *Systemate Brahm.* exhibita, in qua tribunal conspicitur dei *Yâma*, *Shivæ* supremi Indorum dei ministri, qui animas defunctorum in stateram appendit, expendit, merita ponderat & signat, ac deinde præmio aut poena afficit. Est ei amanuensis *Citraputra* dictus, qui bonas & malas hominum actiones litteris consignat, ac deo *Yâma* prælegit. Hujus officium apud Ægyptios gerit *Hermes* ibiocephalus, & *Shivæ* maximi Indorum dei, viventium & mortuorum domini in Ægypto munus obit *Osiris Entaphius*, mundi superi inferique rex, *Shivæ* deo Indico simillimus potestate. Quin immo, si *Diodoro* fides (lib. I.), lacus erat in Ægypto, ad cujus oras cadavera balsamo condita deferebantur, ubi quadraginta judices de defuncti vita moribusque disputabant, decernebantque an cadaver lacu superato sepeliendum esset necne. Regibus quoque sepulturæ honorem judices non semel denegasse affirmat, utpote qui severiori judicum examini erant obnoxii. Atque id ea de ratione ab Ægyptiis inventum putamus, ne iis funerei honores tribuerentur, quorum animæ, attento vitæ genere, ab diis essent reprobatae. Duæ illæ mulieres in operculo sarcophagi *Mumix Obiciantæ* clausæ portæ adstantes caput linteo opertum habent: jugulo vero innexum collare in cervice ligatum; ac denique

in

in brachio & manu armillas gestant. Hic mos & Indicis mulieribus communis est, sicut utrisque nudum pectus, & præcinctorium *vastra* dictum, a renibus ad talos fere procurrens.

Sequitur jam in operculo nostro alia minor area, duabus vittis tessellatis clausa, in qua iterum alii novem genii palmas, aut musæ folia portantes conspiciuntur. Excipit hanc cominus altera area major, quæ omnes figuras & notas hieroglyphicas amisit imprudentia unius Camillæ domesticæ, quæ urceum aqua plenum huic operculo imposuerat: ex quo prosudans humor operculi colores solvit, & figuras abstersit. Hæc res argumento esse potest, colores istos ægyptios aqua facile dilui, & glutine, aut gummi, vel oleo nequaquam adstrictos esse. Succedit huic areæ quadratum rubrum oblongum, in quo exstat globus alatus ruber, ad quem hinc & inde assurgit serpens uræus, pectore elato & expanso sese arrigens, caudam vero reflexam abscondens: eo nempe modo & forma qua serpentem hunc in India *Nallápamba*, id est, *pulcrum serpentem*, nuncupatum, cum *ichneumone* confligentem sæpe vidi. Per globum alatum mundum a sublimissimo & potentissimo Ente creatum intelligi, per serpentes autem uræos divinam hujus Entis sapientiam, qua mundum gubernat, eundemque per vitam & mortem, successiva nempe in eo rerum generatione & corruptione conservat, exprimi, infra ostendemus. Quid enim alæ globo appictæ, quibus mundus, ne labatur, retinetur, nisi vim, efficaciam, & sublimitatem significant, qua non sua, sed numinis potestate mundus suspensus hæret, & conservatur? Quid ipsi serpentes *uræi* indicant, nisi vitam & mortem, sapientiam & prudentiam, qua Deus mundum gubernat, animat, & circumdat? Aspis mortem infert mordendo, & eadem mortua vulnere applicata venenum attrahit, quod morsu sparserat, ac proinde eadem vitam homini restituit, quem momordit. Eandem Indici dii in insula *Elephanta* prope Bombaynum in vetustissimo subterraneo templo sculpti capite gerunt, ut ipse *Osiris* in plerisque ægyptiacæ artis monumentis. Eam ipsam Ægyptii reges



suo regio pileo appictam gerebant. Quid igitur est hæc aspis seu serpens uræus, nisi vitæ, mortis, & prudentiæ symbolum; & hoc diis & regibus appictum, ut omnibus annuntiet, penes deos & reges *vita* & *mortis* potestatem esse, ac eorum prudentia mundum recte gubernari (37)?

Aream, quæ hos serpentes alato mundo adstantes complectitur, excipit iterum altera major colore viridi tineta, in qua altera comparet bivalvis, spadicei coloris porta, duobus pessulis ferreis occlusa. Ad latus dextrum assurgit serpens uræus, capite gestans pileum regium, quo subinde ægyptii dei, & ipsi accipitres ornati visuntur (38). Ad latus sinistrum erectus serpens capite fert pileum *osiriacum*, in cuius medio prominet alter serpens, aut certe lituum seu virga, summæ potestatis & virtutis Osiriacæ insigne. Regio pileo *auctoritatem*, virgâ *potestatem*, ac Osiridis regimen æquum & efficax significari, quisque facile suaderi poterit, si consideret, hanc portam aliud peripetasma esse, sub quo intus latens numen, æquum & potens continetur. De hoc numine supra disserui. Sucedunt huic areæ tres ordines geniorum in genua subsidentium, & palmas, aut musæ folia ferentium. Ultimæ ordo, qui totam hanc hieroglyphicorum columnam claudit, simplex ornatus est, qui quinque portas occlusas refert, sed nec pessulis, nec aliis notis insignes. In his explicit omnis pictura, & columna ipsa, in qua allatæ a nobis notæ hieroglyphicæ sunt exarata. Totum operculum sercophagi altum est tres pedes patavinos, & uncias fere duas: latum circa humeros, ubi maxima ejus latitudo, pedem patavinum unum seu uncias duodecim.

Ar-

(37) Vide plura quæ ego de his *serpentibus* protuli in meo *Hodæporico ad Indos* pag. 177., & seqq.

(38) Vide *Monumenta Musei Naniani*, tab. II. simulacrum *Marris Deum* a., & b. Insigne monumentum est Musei Obiciani *accipiter* ex ære, altus uncias XIV., & dimidiâ, pileum *Osiriacum* capite gestans, cui adhæret serpens *uraeus*. Stat ille in sua forma & figura naturali, integer, omnibus verustatis indiciis præditus, si solos pedes excipias, qui ei additi fuere, ut plintho insistere posset.

Arca ipsa cum operculo tota quanta creta seu gypso est imbuta : nescio autem , an ad rimulas & nævos curandos , an vero ad ipsum lignum corroborandum , & aerem ab eo arcendum , ne is lignum permeet & corrumpat . Æthiopum ædes stramineas , gypso seu creta illitas , imbutasque fuisse , nuper in *Cluverio* legi ; & *Herodotus* docet : Æthiopes corpora sua gypso & minio illivisse , mortuos præterea totos eodem gypso imbuisse , & pictura exornasse . Ab Æthiopibus igitur accepere morem defunctorum arcas gypso imbuendi , pingendique Ægyptii ; nam illi etiam domos creta liniebant , & ex hoc more arcas , mortuorum ædes , pariter pingebant . Operculum nostri sarcophagi quatuor ligneis cuneis crenæ immissis , & ex ora arcæ prominentibus , committitur & copulatur ; & longe abest vel minimum ferri vestigium . Arca ipsa ex uno sycomori trunco , eoque cavo constat ; monoxyli instar , quod remo impulsus in aqua ludit . Hæc indicia jam satis luculenter annuntiant nostram Mumiam ex genuinis & sinceris esse , quæ nulla Judæorum fraude pollutæ fuerunt . Jam ergo ad ipsam Mumiam describendam transeamus .

Mumia *Obiciana* alta est tres pedes & unam fere unciam , lata circa humeros , ubi maxima ejus amplitudo , undecim uncias . Tota quanta linteo xylino gilvi coloris operata fuit ; qui color , ut recte notavit *Joannes Clericus* , Ægyptiis carus , inter festivos numerabatur , sicut fuscus inter luctuosos . Flavum , rubeumque inter festivos etiam recensent Indi Orientales ; fuscus autem in pretio est , quia deus *Krsbna* , Indicus *Apollo* , pastor niger fuit . Remoto hoc linteo comparet integerrima Mumia *Obiciana* , capite calanticam gerens , miro artificio præclaram . Vertex ejus niger est ; sed qua parte per aures , tempora , & maxillas defluit , colore aureo & fusco , reticulati ad instar operis est distincta . Aures nec altæ , nec depressæ , sed in suo naturali situ , recta linea ab oculis ducta sub temporibus collocatæ sunt . In calanticæ extremitate prope mentum hinc & inde

ap-



appicta comparent capita accipitris coloris prasini. Frons Mumiae est ampla, non gibba; facies elegans, integra, tota auro imbuta collucet; oculi grandes, aperti, nigri; supercilia gracilia, nigra, ad nasi verticem disjuncta, & ad tempora haud modice protensa. Genae sunt longiores, elegantes, non tumidae; ossa jugalia depressa, non prominentia; nasus longior, rectus, tenuis, non simus. Os & labia rubra, parva, compressa, non tumentia. Tota facies faeminam praese fert, & hanc non aethiopicam, sed magis ad Asiaticam mulieris figuram accedentem. Qui fieri potuit, ut parentes defunctae, aut taricheutae hujusmodi lineamentis hanc aegyptiacam faciem depingerent, si omnes Aegyptii vultus unius sunt formae Aethiopum aut Sinensium, quam nonnulli eis adscribunt? Aethiopes & Aegyptii, teste Herodoto, Luciano, & Volneyo, colore sunt fusco, capillis nigris & crispis, capite angusto, fronte gibba, fornicata, ossibus jugalibus prominentibus, naso crasso, simo, & cum mandibulis quasi confuso, labiis haud modice tumentibus. Talis erat adolescens ille aegyptius Luciano Romae visus, & ab eo descriptus, oper. tom. III., pag. 248., tales Shynges in Aegypto a Volneyo observatae; tales figurae Aegyptiorum a Norden descriptae; talis denique est juvenis ille aegyptius, Collegii S. Cong. de Prop. Fide alumnus, qui hodie Patavii versatur. Haec vultus forma non cadit in Mumiam nostram. Sinenses capite gaudent quasi quadrato, facie latiori, naso parvo, subsimo, ossibus jugalibus non prostantibus, genis globosis, extrorsum eminentibus, oculis parvis, palpebrarum apertura angusta, labiis compressis, sed paulo amplioribus ( 39 ), colore gilvo, capillo recto, rigidiore & raro, mento prominulo. Haec faciei forma iterum valde abludit a vultu nostrae mumiae. Quid ergo, casune eum ita formatum fuisse dicemus, ut ab

g

aethio-

(39) Confer Blumenbachium, *De Variet. Gen. hum. nativa*, Sect. IV. pag. 291. de Var. *Mongolica*.

æthiopico & sinico vultu discreparet? Nullane in eo gentilitiæ ægyptiacæ faciei, & characteris ratio habita est? Hoc quidem stultum est opinari; nam natura nihil climati & primævæ origini adversum operatur; neque credibile est, Ægyptium taricheutam, aut quisquis sit ille, qui nostræ Mumix faciem formavit, a genio, & gentilitio Ægyptiorum caractere diversum voluisse fingere vultum. Stat ergo ea veritas; præter æthiopicum vultum in Ægypto, ejusque mumiis & monumentis, admittendum esse characterem quemdam *Indicum*, qui Ægyptiis non minus gentilitius & natus est, quam æthiopicus. Isis e. g. ex ære, alta uncias 14., in Museo *Obiciano* existens, labia habet parva, compressa, apte & decore clausa; nasum longiorem, rectum, tenuem, non simum; faciem elegantem, a forma æthiopica toto cælo diversam. Ea vehementer pugnat cum ejusdem Musei muliere *pastofora* æthiopici characteris, quæ in genua subsidens in antica fert *paston*. Hæc peplum gerit ægyptiacum; sed ab illa primo intuitu distinguitur per suam frontem gibbam, per capillos crispas, per ossa jugalia prominentia, per nasum crassum & depressum, per sua labia tumentia. Nec hæc, nec illa græcæ aut romanæ est artis; quod facile dignosci potest, si cum insigni *Harpocrate* græco ex ære, alato, manu silentium indicente, ex collo amuletum gestante, altitudinis quatuor unciarum, aliisque monumentis græco-ægyptiis ejusdem Musei conferantur. Recte igitur *Blumenbachius* nativum ægyptium characterem distinxit in tres classes (40), nempe in *Æthiopicum*, in *Indicum*, & in *mixtum*, qui ex illis duobus, aliisque consurgit. Verba illius ex lib. *de Variet. Gen. hum. nativa* jam supra attulimus: hæc au-



( 40 ) *Variet. Gen. hum.* Sect. III. pag. 187., & 188., Sect. III. §. 66. pag. 233., & in *Observat. super mumiis ægyptiacas*, pag. 17. & 18., denique in *Decade Craniorum*, tab. I. Vol. X. *Comment. Soc. Reg. Gotting.* pag. 12., ubi mumiæ ægyptiacæ cranium describit.



autem in *Observat. super mumiis ægyptiacis scribit ( 41 )*:  
*The second, ait ille, or the Hindoo Cast differs toto calo from  
 the above ( Æthiopian ), as we may convince ourselves by  
 the inspection of other Egyptian monuments. It is characterized  
 by a long slender nose, long and thin eyelids, which run  
 upwards from the top of the nose towards the temples, ears  
 placed high on the head, a short and very thin bodily structure,  
 and very long shanks. As an ideal of this form, I shall  
 only adduce the painted female figure upon the back of the sar-  
 cophagus of Capt. Lethieullier's mummy in the British Mu-  
 seum, which has been engraved by Vertue, and which  
 most strikingly agrees with the unequivocal national form of  
 the Hindoos, which especially in Engelland, is so often to be  
 seen upon Indian paintings. See fig. 2. Hæc Blumenbachii verba  
 in gratiam eorum, qui anglici idiomatis peritia destituuntur,  
 ita in latinum vertimus: Secunda ægyptiaca, seu In-  
 dica tribus ( classis, species ) toto calo differt a suprascripta  
 æthiopica, quemadmodum nos ipsos convincere possumus per in-  
 spektionem aliorum ægyptiacorum monumentorum. Illius character  
 est, longior & levior nasus, longa & tenuiora supercilia, quæ  
 a vertice nasi versus tempora procurrunt, aures alte collocatæ  
 in capite, brevis & tenuis structura corporis, & longissima fe-  
 mora. Unum tantum hujus formæ exemplum adducere placet, &  
 est, figura illa feminea coloribus expressa in dorso sarcophagi  
 mumiæ D. Lethieullier in Museo Britannico existentis, quæ æri  
 incisa fuit a D. Vertue, & quæ singulari plane modo conso-  
 nat & convenit cum indubia gentilitia forma ( vultus ) Indi-  
 ca, quæ specialiter in Anglia quam sapissime cernitur in pictu-  
 ris Indicis. Addere poterat Indorum omnium oculos nigrican-  
 tes, genas elegantes, ossa jugalia depressa, non tumentia,  
 visum acutum, vivacem, & amoenum, præ reliquis genti-  
 bus*

g ij

bus mitiorem, labia parva, apte & decore clausa, non tumida, mentum parvum, idoneum, non prominulum, totum denique faciei aspectum dulcem & mitem, qualis Indorum animus est, climate, dogmate, & ipsa vivendi ratione comparatus. Quod alias Indorum aures attinet, a *Blumenbachio* assertas, eas ego in tot millibus hominum, quæ in India vidi, non observavi; credoque hanc observationem a *Blumenbachio* ex picturis Indicis assertam fuisse, quæ artificis majori vel minori pingendi & delineandi peritia vel inscitia variare possunt. Vide ipsum auctorem *De humani generis varietate nativa* Sect. III., §. 66., & §. 57. pag. 188. edit. tert. Gotting., ac præsertim *Transactiões philosoph. Lond.* ad an. 1794., P. II., pag. 191., ubi pluribus egit de triplici caractere artis veteris ægyptiacæ monumentorum. Conferri possunt hæc ægyptia monumenta, eorumque gentilitius Indico-ægyptius formæ character cum simulacris Indicis vetustissimi & admirandi templi subterranei insulæ *Elephanta*, & *Salsette* (*Shashatta*), quorum specimina exhibet *Niebuhr*, & asservat Museum *Britannicum*, & *Townleyanum*. Multa simulacra nos exhibuimus in *Syst. Brahm.* ex Museo *Borgiano* deprompta & illustrata. Alia recentioris Indicæ vultuum formæ *Indico-Mugulensia* specimina continet incomparabilis codex Cæsareus in augusta Vindobonensi bibliotheca exstans, qui in folio, ut ajunt, XXIII. icones Indicas exhibet, manu Indica, exquisito artificio depictas. Series est *Mugulensium* Imperatorum, uxorum, administratorum, Indicorum Sacerdotum, & nonnullorum Deorum, in qua *Indico-Mogolica* faciei character tam dilucide exprimitur, & tam singularibus lineamentis distinguitur, ut claram & tutam regulam tradat vultuum nationalium varietatem & mixtionem cognoscendi & dijudicandi. Huic igitur classi Indicæ Mumie *Obiciana* faciem adscribimus; & accensemus: ea enim ab *æthiopica*, a *sinensi*, a *græca*, ab *arabica*, a *romana* faciei forma discrepat, & proxime, quamquam non immediate ad formam puri vultus Indici accedit. Confer quæ


supra



supra attulimus de Ægyptiorum & Indorum cognatione (42).

Descripta igitur *Obiciantæ* Mumie facie, reliqua persequamur. A collo ad pedes totum cadaver medicatum fasciis xylinis miro artificio involutum, adstrictum, & vinctum tenetur. Fascias resina imbutas fuisse, ex iis promanans odor indicat. Illæ spadiceum colorem exhibent a medicamento fortasse & a tempore contractum. Integumentum, in quo notæ hieroglyphicæ exaratae prostant, ad instar lorice a fasciis sceletum cingentibus, separatum est; atque idipsum alia fascia albescente xylina cadaveri probe adstrictum. Hæc fascia externa, Mumiam cingens, in antica parte quinque quadrata notis hieroglyphicis referta efficit, quæ ex ordine describemus.

Primum quadratum seu primus ordo exhibet ornamentum pectorale in campo cæruleo exstans. Hic ornatus est formæ semilunaris colorum varietate, frondium, florum, ac margaritarum imitatione conspicuus. Hæ margaritæ non ægyptiæ, non æthiopicæ sunt, sed indicæ, quia nec Æthiopia, nec Ægyptus eas gignit. Simili ornamento hodie utuntur mulieres aliquæ malabaricæ, & æthiopicæ in India vagantes. *Odrila* vocatur, & grana rubra, quæ in eo comparent, in India a Lusitanis *Grao de ourisez* nuncupantur, quia nempe aurificibus inserviunt ad hæc ornamenta confici-



(42) Quamvis certa sit hæc cognatio inter utramque gentem, quæ pæne infinitis argumentis comprobari potest, attamen summa attentione & diligentia opus est in caractere Indico ex monumentis artis ægyptiæ dijudicando. Climatis diversitas, artificis major, minorve peritia, & in formando vultu diligentia, aliaque in considerationem ducenda sunt, quæ in ipso Indico-ægyptio vultuum caractere aliquam variationem producant; neque ea, quæ diximus, ita accipienda sunt, ut Indico-ægyptii vultus gentilitius caractere cum vero & puro Indico gentilitio caractere adamussim convenire debeat. Regulas generales gentilitii Indico-ægyptii caracteris ex *Blumenbachio* tradidimus, non autem cuique individuo peculiare.

cienda. Ornamenta hæc ex tribus, septem, aut novem ordinibus constant. Novem ordinum est pectorale Mumie *O-bicianæ*, trium autem ordinum pectoralis seu collaris ornatus *Sidæ*, Bacchi Indici uxoris. Vide *Systema Brabm.* tab. XVII, & XVIII. a., in qua *Ariadne* hæc cum suo *Baccho* exhibetur.

Secundum quadratum exhibet scarabæum alatum, alis cyaneis, quæ insertæ sunt majoribus alis accipitris alati, cujus caput præminet inter cornua scarabæi. Duo hæc animalia velut in unum compacta ita inter se miscentur, ut corpus accipitris a scarabæo opertum, alæ expansæ, capita autem utriusque conspicua sint. Alæ accipitris aureæ, striis nigris variegatæ & distinctæ sunt, ut eo lucidius resultent. Scarabæi corpus & membra lineæ aurea definiuntur. Color illius niger est ad cyaneum deflectens. Tertium quadratum in duabus areis colore cæruleo septis exhibet duas figuras humanas sedentes, quæ una manu ad frontem elata præcedentem scarabæum & accipitrem adorant, alteram vero in genua demissam tenent. Corpus utriusque figuræ est coloris lutei, præcinctorium rubei, area ipsa in qua sedent, viridis. Quartum quadratum a dextris ostendit protomen humanam, sed capite accipitris insignem, a sinistris itidem figuram humanam capite & vultu humano, a cujus mento pendet barbula. Utraque ambabus manibus gestare videtur sacrum *Tau*, & linteum longum ad terram defluens. Ambæ figuræ sunt verticales, chalassi, aut pallio longo ad talos procurrente indutæ, cui supereminet amiculum quoddam, quale Pontifices gestare solent. Illa quæ a sinistris est, peplo operitur ad humeros defluente, & pileum gerit, in quo promicat lituum. *Osiridem* esse conjicio, *Horum* autem vel *Arverim* illum, qui a dextris stat, & *Osiridi* faciem obvertit. Conjectationem confirmat quadratum quintum, in quo obliquo situ stat *Anubis* cynocephalus, *Osiridem* & *Horum* respiciens, & quasi cum illis duobus consilia agitans. De anima defuncti, seu de illius operibus in vita gestis



gestis res agi videtur; cum tres isti dei faciebus obversis sese respiciant, & situ, oculisque inter se aliquid conferre videantur.

Totam hieroglyphicorum columnam claudunt duo nigri lupi, pedibus Mumia appicti, qui columnæ oblique insunt, & præcedentes figuras respiciunt. Collari & flagro flavo coloris præditi sunt, quo malos genios a defuncti corpore & anima dispellunt. Ægypti lupos, qui *Lycopolitanis* sacrosancti erant, scribit *Herodotus* lib. 2. cap. 51., non multo vulpibus grandiores esse. An autem omnes atrii coloris sint prout in mumiis pinguntur, tæc latet. Plurima sunt in Museo *Obiciano* vetera ægyptia amuleta cum lupi, canis, leonis, accipitris capitibus, quæ ex collo gestabantur, & stultam Ægyptiorum Zoolatriam, ab *Herodoto*, *Strabone*, *Juvenali*, *Clemente Alex.*, & *Philone Judæo* notatam & derisam satis luculenter indicant. Hæc animalia *Dupuis*, *Rabaud*, *de Horn*, aliique ægyptiacæ sapientiæ præcones adorant, & simulacra lupi, ursi, canis, leonis collo innexa circumferant; horum enim indoles, natura, mores, cultus his præconibus apprime convenit, & simile simili gaudet (43).

Mumia *Obiciana* ætas non facile definiri potest. Mille septingentos annos eam vix excedere integritas fasciarum, integumentorum venustas, odor, picturæ nitor, & totus monumenti incorrupti status annuntiare videtur. Character ipse imaginum & ars picturæ indicat aliquam elegantiam, & ab illa primæva ægyptiaca rusticitate ad meliora progressum. Si cum *Pranestino* lithostroto, quod ipse anno 1792. vidi, Mumia hujus picturæ conferantur, ejusdem characteris esse

vi-


---

( 43 ) Consule librum inscriptum : *Die Zwo Schwestern, P., und W.* anno 1796. sine auctoris & loci nomine editum. In eo Indorum & Ægyptiorum sapientia miris modis jactatur, & per falsas notitias, ac imposturas religioni Christianæ excidium, a nostris philosophis paratum, revelatur.

videntur, qui in illius musivi operis ægyptiis figuris existit. Ast non ideo ad *Syllæ* ævum picturas mumia nostræ referendas putamus, ad quod lithostroton illud refert *Plinius lib. 36., cap. 25.*, quia illud græcæ aut romanæ manus artem redolet, nostra autem mumia artificium ægyptiacum ostendit, quod *Syllæ* ævo in Ægypto ad illam elegantiam non pervenit, qua Græci & Romani tunc jam gaudebant (44). Recentioris itaque ævi esse credo hanc mumiam nostram, non tamen excedere sæculum tertium æræ Christianæ, quamvis *S. Augustinus, Serm. 30. oper. tom. V., pag. 981.*, teste *Blumenbachio*, suo ævo adhuc in Ægypto mumias condiri, & ornari solitum fuisse scripserit. Incorruptus est character gentilitiæ formæ in nostra Mumia, & is attento vetustatis investigatori luculenter indicat se a posteriori græca, romana, aut alia barbara manu liberum & immunem esse. Sed de his satis.

( 44 ) De Prænestino Lithostroto vide *Plinium l. c.*, *Kircherum, Barthelmyum, Ciampinum* in libro inscripto: *Vetera monumenta*, Romæ. 1690., *cap. X., pag. 81.*





## §. IV.

NOTARUM HIEROGLYPHICARUM MUMIÆ OBICIANÆ  
EXPLICATIO.

**H**ieroglyphicorum interpretationem omni ævo difficilem fuisse probat paucitas illorum Ægypti Sacerdotum, quibus ea explicandi cura, munusque commissum fuit. *Non quibuslibet, ait Clemens Alex., lib. V. Strom., pag. 117. edit. Bas., ea quæ erant apud Ægyptios, committebant mysteria; neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos; sed ad eos solos, qui erant ad regnum perventuri, & ex Sacerdotibus iis, qui judicati fuerant probatissimi & educatione, & doctrina, & genere. Ne reges quidem eorum gnaros fuisse, indicat epistola Manethonis Sebennytx Sacerdotis, insignis adulatoris & jactabundi viri, quam ad Ptolemæum Philadelphum scripsisse fertur, dum rex ex eo interpretationem eorum, quæ Ægyptii a Mercurio columnis & obeliscis inscripta fuisse, pie credebant, postulaverat. Vid. Georg. Syncellus in Chronog. pag. 4., edit. Goarii, Paris. 1652. Denique opinionum & sententiarum inter ipsos Ægyptios in dogmate, cultu, notisque hieroglyphicis explicandis pugna & contrarietas, quam notat Plutarchus, palam & aperte probat, nullam certam, constantem, ac indubiam in his interpretandis regulam, ac rationem inter Ægyptios extitisse. Accipiter e. g. nunc ventum, nunc solem, nunc ignem, nunc deum, nunc animam, nunc victoriam, nunc imperium sursum deorsumque, nunc strenuam virtutem, potestatem, & sublimitatem significat. Hoc autem impossibile est, si notæ hieroglyphicæ, veræ litteræ sunt certi & definiti valoris ac potestatis, quia quemadmodum e. g. in syllabica scriptura littera B. suum de-*

b

fni-

finitum valorem, sonum, & potestatem habet; ita & notæ hieroglyphicæ unum, certum, fixum, ac definitum valorem & significationem habeant est necesse, si eadem veræ litteræ sunt. Non ignoro, animalium notas, veras esse litteras docuisse auctores. Sed hoc ipsum multis difficultatibus obnoxium est, quo minus statim assentiar; & plus symbolicæ rationis, quam veræ scripturæ vim in his latere puto. Itaque terque quaterque divinare & hariolari oportet, dum ex his animalium notis sensus & significatio elicienda est. In Indicis hieroglyphicis consuli possunt *Brahmanes* hodieum superstites, & eorum notæ certum nomen habent (45): in ægyptiacis autem nulla regula & certitudo. Adde his, græcos esse illos auctores, non ægyptios, qui hieroglyphica aliquo modo attigerunt, & interpretati sunt. *Diodorus* explicat perpauca, *Plutarchus* & *Clemens Alex.* plura, *Horapollo* quam plurima. Hic ultimus subinde parum sibi constans, gente Græcus, primum Panopoli in Ægypto, deinde Alexandriæ & Constantinopoli Grammaticus, sub *Theodosio* Imperatore suum opus absolvit. De *Charemonis* hieroglyphicorum interpretatione, de libro *Natalitia Ori* inscripto, & si qui sunt alii a Veteribus memorati, nihil ad nos pervenit. Hæc itaque cordatum terere virum, & ne nimium fidenti animo hieroglyphicorum interpretationem aggrediatur, aut rectum eorum sensum se assecutum fuisse dicat, in quodam dubio suspensum, & sibi diffidentem tenere debent. Quia tamen nonnulla præfanda sunt, autequam de *Mumix Obiciana* hieroglyphicis disseram, pauca ex *Clemente Alex.*, & *Plutarcho* delibabimus. Ex *Ægyptiis*, ait *Clemens*, lib. V. *Strom.*, pag. 117. edit. Franc., alii quidem in navigio, alii vero in crocodilo Solem ostendunt. Significant autem quod Sol per aerem dulcem & humidum ingrediens,

(45) Videsis *Viaggio alle Indie Orientali, umiliato alla Santità di N. S. Papa Pio VI.*, Roma 1796.. lib. II. Cap. VIII., *De' segni geroglifici Indiani.*



diens, gignit tempus, quod ænigmatically significat crocodilus per quandam aliam Sacerdotalem historiam (46). Porro autem Diospoli (Sai apud Plutarchum) quoque, quæ urbs est Ægypti, in ade sacra, quæ vocatur Pylon, figuratus quidem est puellus, signum generationis: senex vero, interitus: & rursus Dei symbolum accipiter, ut piscis symbolum odii. Et in alio rursus significato Crocodilus (hippopotamus potius) est signum impudentiæ. Videtur ergo universum hoc symbolum simul positum hoc significare: O qui nascimini & interitis, Deus odio habet impudentiam (47). Et aures & oculos fabricantes ex materia pretiosa, consecrant diis dedicantes, hoc utique tacite significantes, quod Deus omnia videt & audit. His accedit, quod roboris quidem & fortitudinis signum est eis leo: sicut certe & ipsius terræ & agriculturæ & alimenti bos: magnique animi, virtutis & libertatis equus: roboris autem rursus cum ingenii solertia, sphynx, quæ totum quidem corpus habet leonis, faciem autem hominis. In alio loco tradidit Clemens, quod illi Ægyptii, qui Solem volunt scribere, faciunt circulum, qui Lunam, figuram Lunæ cornuum formam præ se ferentem; qui astra, figuram serpentum; qui Solem, scarabæum. Plutarchus de iisdem Ægyptiis lib. de Iside disserens inquit: Regem & dominum Osirin oculo & sceptro

h ij pi-

(46) Idem crocodilus Indis sacer est, & in Indicis sacris monumentis visitur. Vide *Musei Borgiani Velitris Codices Indicos manuscriptos*, Romæ 1793., pag. 213. In crocodilo Indico vehitur *Tschakra* dei Ramæ, seu circulus ille, quo mundum gubernat & animat. Solem esse hunc circulum, qui ex humido accendatur, & per humidum elementum vehatur, facile perspicias. Vide *Tabulam de Crocodilo* pag. cit.

(47) Plutarchus hæc ita tradit: Sai in vestibulo templi Minerva erat insculptus infans, senex, deinde accipiter, post piscis, ultimo loco equus fluvialis. Hac symbola notabant: infans & senex ortum atque interitum, accipiter Deum, piscis odium, ut diximus, propter mare, equus fluvialis impudentiam. Fertur enim patrem interficere, & postea cum matre per vincoire. Lib. de Iside, pag. 355. edit. Paris.

*piētis exprimunt, & nomen quidam interpretantur multioculum . . . . Calum corde picto significant - cui focus ardens subiectus sit. Et iterum: Osirin oculo & sceptro piētis exprimunt, oculo providentiam, sceptro potentiam demonstrante . . . . Accipitre picto Osirin saepe proponunt.*

Ex his jam liquet, quid ex Ægyptiorum placitis in Mumia Obiciana significet accipiter alis expansis inter cornua scarabæi prominens, & scarabæo tam intime conjunctus, ut unum idemque animal esse putes. Accipiter certe maximum Ægypti numen *Osiridem* in hac Mumia significat, cui potissimum Ægyptii corpus & animam defuncti commendatam esse volebant. Alis autem expansis eum pictum exhibent, ut Dei hujus virtutem, energiam, sublimitatem, imperiumque in superiora æque ac interiora indigitarent (48). Quocirca in aliis Mumis plerisque *Isidem* in pectore pictam esse supra observavimus, uxorem nempe & sororem *Osiridis*: cui æque ac marito suo *Osiri* gens ægyptia manes suos consecrabit. Eadem *Isis* alis expansis picta cernitur, ut non solum superi, interique hemispherii regina, sed etiam viventium, mortuorumque mater, asylus, & tutela esse cognoscatur (49). *Osiridi* & *Isidi* inferorum principatum Ægyptios attribueret ex *Herod. lib. II., cap. 60* supra jam asseruimus. Quocirca in proxima huic *Osiridi* adjecta area Mumia nostræ pictura exhibet duas mulieres *Siticines*, quæ elata ad frontem manu *Osiridem* adorant, & nudo pectore defuncti causam plangunt. *Luctus Ægyptiorum*, ait *Herodotus lib. II. cap. 53., ac sepulture tales sunt; quibuscumque aliquis ex domesticis decessit homo alicujus momenti, ibi omnes famina illius familie caput sibi &*

*vul-*


~~~~~  
 (48) Non esse hanc defuncti animam per accipitrem demonstratam, innuunt duæ mulieres infra una manu ad frontem elata *Osiridem* adorantes qui actus in animam defuncti non cadit.

(49) Confer *Seldenum de Dus Syris*, proleg. pag. 53-55. edit. *Lyps.*, & *Apuleji, Plutarchique doctrinam supra in annotat. 27. pag. 32. & seq. allatam.*

vultum oblinunt luto, deinde relicto domi cadavere, ipsa per urbem vagantes se plangunt succinctæ, nudatis mammillis, & cum eis proximæ quæque (50). Ex harum choro sunt illæ duæ mulieres in nostra Mumia proxime Osiridi symbolico assidentes, & una manu numen adorantes, altera vero pectus verberantes; qui mos hodie in India viget. Non obest accipitri scarabæus, qui in Mumia nostra confusi, & sibi mutuo insiti exhibentur: nam scarabæus ipse, teste *Clemente Alex.*, *Solem*, id est, *Osiridem*, superum inferumque numen, auctore vero *Horapolline*, substantiam natura sua unicam, patrem & creatorem, mundi animum, ipsum denique *Demiurgum* significat (51). Apte is ergo accipitri conjunctus fuit, ut his duobus animalibus pictor totam vim, energiam, potestatem, majestatemque numinis exprimeret. Innumera sunt hujus scarabæi in Museo Borgiano, Nariano, Obiciano ægyptiacâ simulacra, sed in illo primo multa notis hieroglyphicis illustra. Consule de his: *Notice des pierres gravées Egyptiennes du Muséum National des antiqués*, in *Journal des sciences, des lettres, & des arts*, tom. VI. Paris. En itaque, quomodo præcipua ægyptiaca symbola ad *Solem* & *Lunam* referantur, en quomodo prima ægyptiaci cultus semina ab astris procedant. Et hanc originem, hunc morem, hæc eadem Indici cultus principia, a nobis acriter asserta, nobis negat *Fontanius* bibliothecæ *Ricciard.* custos, homo sine ingenio, rabula, & harum rerum rudis (52).

b iij

In



(50) Confer *Lillii Girdali* Opusculum *De Sepulcris, & vario sepeliendi ritu*, Parmæ 1691. in *Miscellaneis Italicis Eruditis*, pag. 384. & seqq.

(51) *Horapollinis Hieroglyphica*, græce & latine cum *Observationibus & notis Joan. Merceri & D. Hæschelii, & selectis Nicolai Caussini*, curante *J. Corn. de Pauw*. Trajecti 1727. lib. I. c. 10.

(52) In elogio *R. P. Augustini Georgii*.

In quarto & quinto segmento Mumiae *Obiciana* stantis *Osiridis*, sacro peplo ad instar mumiae amicti, *Hori* accipitrino capite insignis, & *Anubis* cynocephali jam supra meminimus. *Anubim* canino capite pingi solitum fuisse, res est vulgatissima; idque ob mentis acumen, & vigilantiam, qua velut canis hominum custos & vigil, ita ille, teste *Plutarcho*, deorum, animarumque dux, patronus, administer esse credebatur. *Jam qui*, inquit *Plutarchus*, *caelestia ostendit Anubis, superiorum quasi ratio, aliquando etiam Hermanubis usurpatur: altero nomine superioribus, altero inferis scilicet conveniente*. Eadem igitur ratione, qua *Osiris* superi inferique mundi dominus est, *Anubis* quoque utriusque administer, dux, custos, vigil, & animarum patronus habetur: quod non solum *Aegyptii*, sed etiam *Indi* & *Sinenses* docent (53). *Arveris*, affirmante eodem *Plutarcho*, ab *Aegyptiis* senior *Orus*, a *Græcis* vero *Apollo* nuncupatus, *Isidis* & *Osiridis* est filius. Tres ergo principes aegyptiaci dii in *Mumia Obiciana* exhibentur, ut pictor aegyptiaci cultus compendium adumbraret, aut defunctae personae in istos deos pietatem exprimeret.

Duos lupos Mumiae nostrae pedibus appictos fuisse nemini mirum videbitur, si meminerit ex recensione mumiatarum a nobis exhibita patere, hos lupos flagro averrunco instructos etiam in aliis plerisque mumiis comparere. Erant lupi, teste *Strabone* & *Plutarcho*, *Lycopolitanis* sacri, qui soli ex *Aegyptiis* ove vescebantur, quia eadem lupi quoque vescuntur. Volunt alii ideo lupos a *Lycopolitanis* coli, quia *Osiris* sub lupi specie conjugem *Isidem* atque *Horum* filium a *Typhonis* injuriis servavit. Nec desunt qui putent, luporum agmen *Aethiopes* de *Aegypto* expulisse, cujus beneficii memores *Aegyptii* lupum adorant


&



(53) Vide de *Bubda* seu *Amida-Bubd* Opusculum incriptum: *Monumenti Indici del Museo Naniano illustrati*. Padova 1799.

& venerantur . Confer *Mémoire historique sur les animaux respectez en Egypte* par M. Blanchard. in Volumine XIII. des *Mémoires de Littérat. de l'Acad. Roy. des Inscript. & Belles Lettres* pag. 31. seq. Lupus autem Apollinis amicus esse creditur, quod Latonæ parienti adstiterit: hinc ab Homero *Lycogenes* Apollo dictus a $\lambda\upsilon\kappa\omega$ seu lupo; ex quo in templo Delphico lupi simulacrum cernebatur. Sunt lupi *Osiridis* ad inferos comites & administri, tenebrarum & noctis amici, acutissima oculorum acie præditi, incolæ, & hypogæorum, in quibus mumix conditæ jacent, custodes. His ergo corpora commendabant Ægyptii, ut animam *Isidi* aut *Osiridi*; quam ut a *Babi* seu a *Typhone*, omnis mali auctore, illæsam servarent, flagro averrunco gilvi coloris, ignem notante, instructi, pedibus mumix appingebantur. Hæc Sacerdotalis est ratio: longe simplicior, vulgaris, & vera illa altera, qua ideo cadavera sua lupis commendasse dicendi sunt, quia timebant, ne cadavera a lupis, everso debili cippo, quo primo muniabantur, devorarentur. *Króshta* animal lupo simillimum hodiedum in India cadavera ex sepulcris egerit, discerpit, & devorat. Idem in Lybia & Ægypto olim accidisse per lupos verisimile est: unde cippi, stelæ, pyramides, hypogæa ad cadavera servanda & sepelienda ab Æthiopibus primum reperta, deinde Ægyptiis majori fastu communia. Hinc etiam prima in lupos veneratio, ut corporibus parcerent, neque ea dilaniarent (54).

Quare



(54) Nemo existimet hanc solam fuisse apud Ægyptios & reliquas gentes cadavera saliendi, exsiccandi, & condiendi causam. Filiorum in parentes pietas, & parentum in filios amor; corporis asservandi cura, ut ab anima diutius, quo fieri posset, inhabitaretur, ac ea non nisi fracto penitus corpore exire compelleretur, in aliud animal transitura; inundatio *Nili* in Ægypto, quæ corpora humi sepeliri prohibebat, præcipuæ causæ sunt, quæ non solum Ægyptios, sed etiam alias gentes ad corpora defunctorum servanda, salienda, siccanda, & aromati-

bus

Quare multi ex Ægyptiis, quemadmodum hodie multi ex Indis, teste *Strabone*, cadavera in flumen projiciebant, potius ea crocodilis, quam lupis in prædam daturi. Hæc igitur ratio, hic timor, hæc cura parentum corpora servandi, Ægyptios induxit, ut lupos & crocodilos, ferocissima animalia, venerarentur. Quod immanes crocodilos, inquit *Philo Judæus*, ferocissimos leones, virulentasque aspides pariter templis, lucis, aris, sacrificiis, fastis, pompisque (Ægyptii) honorant, quaso, cujus pietatis est aut prudentia? In utroque elemento divinitus concesso ad usum hominum, terras & aquas scrutari, nec inter feras leone ferocius quidquam invenire potuerunt, nec inter aquaticas belluas crocodilo crude-

bus condienda induxerunt. Vide *Lilii Gyraldi Opusculum de sepulcris, & vario sepeliendi ritu*, pag. 358. & seqq., tom. III. in *Miscellaneis Italiciis Eruditis*, Parmæ 1691. Non itaque soli sunt in causam ducendi lupi; non sola inundatio *Nili*, quæ per aquas cadavera distrahendi, perdendique vim secum adducebat; non fœdus cadaverum odor, & necessitas ea e medio viventium amovendi, ut vult *Annaeus Seneca*, sed aliæ & aliæ apud diversas gentes rationes & causæ fuerunt corpora sepeliendi, siccandi, salendi, & condiendi. Profecto Æthiopes, Scythæ, Assyrii, Hebræi *Nili* inundatione non infestabantur, & tamen ab antiquissimis temporibus corpora defunctorum, ut supra docuimus, exsiccabant, saliebant, & pharmacis delibuta condiebant. Absit itaque, ut *Walchii* & *Heynei* nenas recipiamus, qui, aliis gravioribus causis prætermittis, primas in Ægypto dare videntur *Nili* inundationibus, quæ Ægyptios ad cadavera siccanda, & in editis locis conservanda induxerint. Nam inspecto *Herodoto*, & rite examinato ægyptiaco cadavera salendi, condiendique ritu & more, hic longe ante Christum natum ad Ægyptios ex Æthiopia, ubi nullæ *Nili* inundationes, fluxisse videtur. Vide *Walchii De mumiis Christianis Commentat.* Vol. III. Comment. Soc. Reg. Gotting. pag. 58., & in eod. Vol. *Heynei Spicilegium antiquitatis mumiæ* pag. 69. *Cassiani* testimonium, quod ibi affertur, de mumiæ *Christianis* tantum intelligitur; & aliud est ipsa necessitas tempore inundationis *Nili* in editis locis mumiæ asservandi; aliud item, prima causa & ratio corpora salendi & ex antiquissimo Gentilium more asservandi; cum igne comburi, aut omnia in flumen projici possent, absque eo ut humi conderentur eo more, qui *Christianis* communis fuit.


delius , quos adorant pro numinibus : nec hos solum , sed & animantes alias , canes , feles , lupos , e volucribus ibides & accipitres , pisces quoque aut integros , aut membratim consecrant : quod sine risu dici non potest (55) . Itaque ex timore potius , quam ob mystica animalium quorundam virtutes & causas Zoolatria apud Æthiopes , Ægyptios & Indos orta est : homo enim non solum beneficia naturæ semper amavit , sed etiam ejus monstra timuit : quæ duæ veræ causæ sunt hujus stultissimæ Zoolatriæ .

Hæc erant , quæ in Mumiam *Obicianam* ejusque notas hieroglyphicas animadvertere placuit . Nobilissimo nunc *Marchioni DE UBICIS* grates mihi persolvendæ sunt , qui me comiter excepit , & delineatum Mumix specimen exhibuit ; eumque totis viribus deprecor , ut hæc bono animo grata habeat & accepta ; cum nil blaterantes eos homines curem , quos invidia rodit & inscitia . *Catajum* petant ipsi , & de munificentissimo Possessore dijudicent . Videant qui fit optimus & omni laude impar divitiarum usus , quæ comitas quæ antiquarum rerum peritia , eosque pudeat vehementer , in tabernis quotidie & illecebrose se vitam transigere , dum Patria & Cives utiliore ex iis operam sibi pollicentur . Utinam vero & cætera præstantiora monumenta quibus *Catajum* superbit , eruditus aliquis Vir exornanda sumeret & commentario illustranda ! Præter enim quam quod rem ipse præstaret ab antiquarum doctrinarum amatoribus desideratissimam , laus quoque accederet *OBICIO* qui e longinquis regionibus parva sibi monumenta in hoc amplissimo Musarum sacrario collocavit . *Nisi enim utile est quod facimus , stulta est gloria .* Scripsi Patavii anno M.DCC.IC. , mense Septembri .


(55) Philo Judæus , lib. de *Decalogo* , pag. 755. edit. Paris .

F I N I S .









COLL. MAPL.



